AD REVEREN-DISSIMOS PATRES, GRAVISSIMOS, DOCTIS-SIMOSQVE VIROS, ECCLESIARUM ANGLICANARUM DOMINOS EPISCOPOS.

---

1 Reg. 18. 21.
Quousque claudicaturi estis in duabus opinionibus. Si Iehoua est Deus ipse, sequimini eum. Sin autem istorum Babbal, sequimini eum.

Psal. 2. 12.
Osculamini filium ut non irascatur, & pereatis in via, si exarserit vel minimum ira ejus. Beati omnes qui se recipiunt ad eum.

Philip. 2. 21.
Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Christi Iesu.

Act. 9. 5.
Durum est contra stimulos calcitrare.

2 Tim. 2. 7.
Considera quæ dico: Det tibi Dominus intelligentiam in omnibus.

ANNO MDCXXV.

2



AD REVERENDISSIMOS PATRES, GRAVISSIMOS, DOCTISIMOSQVE VIROS, *Ecclesiarum Anglicanarum* DOMINOS EPISCOPOS.

R*Everendissimi Patres, & Præsules* amplissimi, si Iob serui sui causam non spreuerit, nec ancillę suæ litigantium secum, spero mihi veniam apud vos fore vos compellandi, nec ægrè vos laturos me vobiscum paucis de quibusdam expostulare: quæ tùm Dei gloriam, tum harum ecclesiarum, nec non & totius hujus regni bonum, & vestram quoque salutem spectant. Si ut homines estis hominum more mihi pro veritate loquenti succensueritis, fiat voluntas Dei. Non sum primus, cui veritas, odium peperit. Socii mihi sunt prophetæ, apostoli omnes: Ipse Dominus Iesus Christus. *Omnium sors est qui piè volunt in Christo Iesu viuere persecutiones pati.* Latinè potius scribo quàm Anglicè (licet ne juuenis quidem orator bonus fuerim, & nunc nullus omninò sim) primò quia quæ vobis dico, à vulgo nollem intelligi: secundò vt aliarum tamen gentium hìc incolæ,

Iob 31. 13.

2 Tim. 3. 12

causæ

causę agendæ æquitatem intelligant, eamque suis precibus juuent. Modeste profectò dicam omnia, ita tamen liberè, ut nemo mihi vel timiditatis, vel adulationis crimen justè ascribat. Vos interim videte, utrum æquo animo quæ sum dicturus accepturi sitis omnia: an iram vestram contra me exilire passuri. Hoc tamen

Matth. 5. 7. cogitate, *misericordes beatos esse, & misericordiam consecuturos*. Sic & *judicium sine misericordia fore iis, qui mi-*

Iacob. 2. 13. *sericordiam non faciunt*: *Misericordiam autem adversus judicium gloriaturum*. Vtrum horum mauultis accipite. Tantò audaciùs omnia eloquar, quia me unum ex

2 Tim. 1, 6. iis esse cupio, *quibus Deus non dedit spiritum timiditatis*, sed tam roboris (sive fortitudinis) quàm charitatis & sobrietatis. Ab omni tamen justa indignationis vestræ irritatione (quantùm potero) abstinebo: quia etsi

1 Thes. 5, 11. Hebr. 3. 13. omnes Christiani debeant alii alios admonere, & ad-

Lev. 19, 17. hortari; nec non etiam (si opus fuerit) reprehendere, si tamen Timotheo mandauerit Paulus, *ne seniorem increparet*, *sed hortaretur vt Patrem*, tum multò magis hoc aliis incumbit; ac proinde talem qualis sum ego maximè decet omni erga vos reuerentia uti, quos ut Patres appello, ita etiam propter vestram ætatem, eruditionem & gravitatem pro Patribus, verè & ex animo

2 Reg. 5, 13. agnosco. Naamanem Syrum serui sui patrem dixerunt, & tamen simul etiam reprehenderunt, quòd Elishæ mandatum de se septies in Iardane lauando tam indignè tulisset. Naaman nihilominus seruorum suorum consilium non dedignatus, est secutus. Ita ergo & vos Patres, sequentem hunc meum sermonem æquo animo ferte, licet fortasse duriorem, quàm expectatis, vel saltem desideratis.

2. Sed præfationem omnem fusiorem mittens, & verborum ambages hujus temporis juuenibus relin-

quens,

quens, vt quibus, vos pro magna veſtra & gravitate & prudentia non delectari putem: ad rem ipſam accedo, & à vobis humilimè peto, licere mihi tum vobiſcum de multis expoſtulare, tum & pro eorum æquitate de quibus ſum expoſtulaturus gratiam illam impetrare, quam hactenus multis petentibus negaſtis. Etſi liberè me omnia dicturum præfatus fuerim, nemo tamen me ex odio quicquam dicere putet. Ex animo profectò vobis omnibus bona omnia precor, & ex Chriſtiano erga vos amore omnia ſcribo. Si quis ſe vulneratum ſenſerit hic cogitet, *fidelia eſſe amici vulnera, deprecanda verò oſcula oſoris.* Licet etiam omnes epiſcopos generaliter compellem, epiſcopalem tamen ordinem potius intelligo, quam ſingulas epiſcoporum perſonas. Novi quidem magnum eſſe diſcrimen, & quoſdam ex veſtro ordine, non tantum doctos & viros graues, ſed etiam pios agnoſco, tantòque majore reverentia dignos, utcunque pro præſenti partim mundanis honoribus, plus ſatis elatos, nec non & hujus ſeculi diuitiis in rebus quibuſdam plurimùm excæcatos. Si enim munus ipſos oculatiſſimos, (id eſt acutiſſimos & perſpicaciſſimos) excæcat, quantò magis hoc poteſt tantus diuitiarum fallacium cumulus quanto vos affluitus, vt & honorum illa amplitudo, qua vos fruimini? Non equidem audeo tantam mihi cum Petro, fortitudinem polliceri vt ab ejuſmodi illecebris non ipſe metuam. Quid enim? An optimus ille Agur Deum precatus eſt, ne ſibi paupertatem aut divitias (amplas ſcilicet) daret, idque ne ſaturatus ementiretur, & diceret, *quis eſt Iehovah*, & ego meipſum in divitiarum & honorum magno mari tutum putarem? Vos ergo ſecundùm Chriſti ſecundæ tabulæ interpretationem, & regulam omnibus datam de proximis diligendis, tanquam meipſum

Prov. 27,6.

Exod. 23,8.

Prov. 30,8,9

Mat. 22,39.

ipſum diligens, non poſſum tantò meliora de quibuſdam ex vobis ſperare, quantò deteriora mihi metuo ſi in eodem me loco Deus poſuiſſet ad quem vos evexit.
Prov. 14. 20 & 19. 7. Imò, tanto magis hoc mihi metuo, quia ut ipſis *amicis, quinetiam & fratribus odio ſunt pauperes* (heu quantum quotidiana experientia hoc teſtatur?) ita *diuitibus multi ſunt amici, non tam veri, quàm adulatorii*: adeoq; & tantò periculoſiores.

3. Vt planiùs adhuc res ipſas explicem de quibus veniam mihi peto vberiùs vobiſcum expoſtulandi, ſunt inprimis, Euangelii curſus jam diu à vobis impeditus, & multiplices injuriæ, quibus Euangelii miniſtros per ſexdecem jam annos (ne plures dicam) atrociter affeciſtis. Quo major ipſe Chriſtus: quò præſtantiùs ipſum
1 Pet. 1. 19. Euangelium, quo animarum ſalus pretioſior, pretioſiſſimo Chriſti ſanguine empta, eò majus peccatum eſt euangelii curſum & propagationem impedire. Quo Euangelii miniſtri omnes ſunt Chriſto conjunctiores,
Ioh. 15. 15. vt *quos amicos ſuos dixerit, & quibus omnia nota fecerit, quæ ipſe à patre ſuo audivit*: Quò diſertioribus verbis
Luc. 10. 16. Chriſtus dixerit *eos qui ipſos audirent audire & ipſum, & qui ipſos rejicerent eos & ipſum rejicere, &c.* Quò eorum minimum majorem dixerit non tantùm prophetis vel
Math. 11, 9, 10, 11. maximis, ſed & ipſo Iohanne Baptiſta, quem tamen prophetis anteponit, & de quo dicit, *inter eos qui gignuntur ex mulieribus majorem Iohanne non ſurrexiſſe*, Quo honoratioribus ſæpe titulis ſcriptura ipſos ornat:
2 Chron. 36, 16. Quò denique graviora tum ſæpe comminatus tum etiam executus eſt Deus judicia contra eos, qui vllos ex ſuis nuntiis ſubſannauerant, & verba ſua quæ ipſi eſſent elocuti ſpreuerant: eoſque (non tantùm pueros
Pſal. 105, 14. & viros plebeios, ſed ipſos etiam potentiſſimos Reges) eô ſane gravius peccatum eſt, quicquid contra vllos

Euan-

Euangelii miniſtros feceritis. Quanta ergo illa omnia quæ perpetraſtis in ipſorum ſuſpenſione, abdicatione, & excomunicatione, aliiſque multis,pleniùs ſtatim dicendis?

4. Priora omnia & alia plurima tantò majora, quantò magis inexorabiles fueritis, aureſque veſtras (ordinis veſtri aures intelligo, non ſingularum perſonarum) ſemper occluſeritis, non ipſis tantum miniſtris pro ſeipſis humilimè ſupplicantibus, ſed & aliis etiam non contemnendis viris: imò quibuſdam quoque nobilibus pro ipſis apud vos intercedentibus (vt aliquando principes Iehudæ, omneſque populi ſeniores ſeſe pro Ieremia interpoſuerunt,& ſacerdotibus oppoſuerunt) & quantò majore cum dedignatione omnes tum ipſorum miniſtrorum ſupplicationes, tum aliorum pro ipſis ejuſmodi petitiones quaſi a tergo veſtro rejeceritis, & ſub pedibus quodammodo veſtris contriueritis: ac ſi ſcilicet ipſas ſpreuiſſetis (vt loquitur Iob) aut ſpreuiſſent, qui ita ipſos rejecerunt tanquam indigni eſſent ipſorum parentes, qui juxta gregum veſtrorum (aut ſaltem ipſorum) canes ponerentur. Ex ipſis tamen nonnulli æquè tum de parentibus ipſorum, tum de ſui ipſorum & ortu & educatione gloriari poſſet,atq; vel plurimi ex veſtro ordine,vel ipſePaulus de ſimilibus gloriatus eſt: idque ſine ulla omninò arrogantia. Iahhakobum ſepties ſe incuruantem fratri ſuo Eſauo,viro impio & prophano,Eſau quidem priùs contra Iahhakobum duriſſimus, ſed multiplici illa incurvatione flexus & lenitus, amantiſſimè amplexus, & cum lachrymis eſt oſculatus, etiam nullum peccatum agnoſcentem. An vos (reverendiſſimi Patres) meliore ſpiritu inſtructi, veſtris fratribus ipſo Eſauo duriores vos exhibebitis? An negabitis ipſos veſtros eſſe fratres,

Epiſcoporum duritia in fratrum ſuorum aliorumq; pro ipſis petitionibus repellendis

Ier. 26,16.

Iob 30, 1.

Philip. 3,5.
Gen. 33,3.
Heb. 12,16.

fratres, ex eodem patre, & eodem ſemine natos, ejuſdem vobiſcum regni cæleſtis hæredes, eandem eccleſiam matrem habentes; & eandem Chriſtianam doctrinam in omnibus fundamentalibus (vt loquuntur Theologi) vobiſcum tenentes? An in rebus quibuſdam levioribus (vt vos ipſi loquimini) differentia, tantam animorum alienationem faciet? An non ſatis eſt quod contra eos hactenus feciſtis? Quæ autem ſunt in quibus à vobis diſſentiunt, niſi eadem in quibus à vobis quoque diſſentiunt, tum judicio tum praxi, exteræ omnes eccleſiæ reformatæ, & exterarum omnium eccleſiarum reformatarum viri doctiſſimi, prudentiſſimi, & integerimi? An vos ſoli ſapitis? An vobiſcum
Iob 12, 2. eſt moritura ſapientia? An vos ſoli docti? An vos ſoli pii? Prçterea quæ ſunt illa in quibus vos ab ipſis diſſentitis, & pro quibus tantopere contenditis, & digladiamini? Eadem profectò in quibus vobiſcum Papa & papiſtis conuenit. Sed hac de re plura poſt. Quod vos ſæpe fortaſſe hortati fuerint mediocribus divitiis, & licitis honoribus contentos eſſe, id ſanè non ex invidia aut contra vos odio, ſed tum ex verbi authoritate, tum ex charitate factum arbitramini.

Conſcientiæ vires.

5. Ad animos veſtros erga illos veſtros fratres meliùs pacandos, voſque ipſos magis placandos, cogitate obſecro, quantæ tandem poterint eſſe conſcientiarum veſtrarum vires, ad vos nihil ejuſmodi ſomniantes accuſandos, quanti ſtimuli ad vos pungendos, niſi interim ſeueritatis veſtræ vela remiſeritis, mitiùſque poſthæc cum ipſis egeritis. Heu, heu, an obliti prorſus
Geneſ. 42, 9, &c. eſtis, fratres Ioſephi poſt viginti ad minimum annos
Ioſephi fratres. elapſos, recordatos quid fecerant Ioſepho? An vobis effluxit ipſos prioris ſui ſceleris reos, & Ioſephum neſcientes, nemine aliorum ipſius cauſam agente, nec ipſo

ipso Iosepho quicquam ipsis objiciente, aut exprobrante, sed ipsorum tantum conscientiis ipsos accusantibus, urgentibus, prementibus, alterum ad alterum dixisse, reos profecto se fuisse fratris sui causa, vers. 21.
ut qui antè ipsius angustiam vidissent, cum deprecaretur ipsos, nec tamen audivissent: ac proinde præsentem illam angustiam sibi accidisse? Imo, et Reubenem illud ipsorum flagitium amplificasse, quod ipse eos allocutus fuisset, & monuisset, ne ita peccarent in Iosephum, ipsos vero noluisse auscultare, ac proinde sanguinem illius tum demum ab ipsis requisitum; Erant isti Iosephi fratres ecclesiæ patres, nec non patriarchæ. Tanto ergo accommodatius est hoc exemplum vobis, qui jam hujus ecclesiæ patres appellamini. Act.7,8,9.
Hoc ergo vobis in tempore accommodate, ne nimium sero alter alterum accusetis, quod fratrum vestrorum angustiam videritis, imo et molestiam ipsis feceritis ipsi (multis inquam, non uni) nec tamen ab ipsis, nec ab ullo alio pro ipsis exorari volueritis. Quanto durius jugum ipsis imposuistis, aut imposituri estis, videte ne tantò gravius conscientiis onus attrahatis. Ne vobis adulemini. Graviora profectò sunt quæ vos vestris illis fratribus fecistis, quàm illa Iosephi à fratribus suis venditio. An vobis tantus unquam sperandus fructus ex iis quæ fratribus vestris fecistis, quantus ex summa & admirabili Dei providentia fratribus illis Iosephi secutus est? Si metuendum sit à foro conscientiæ, quantò magis metuendus à foro Dei? *Si cor nostrum condemnet, Deus corde nostro major est, & omnia novit.* Nullus curiarum vestrarum registrarius ita diligenter, & tanta cum fide, acta vestra rotulis, & libris vestris inscribit, atque vestra conscientia. Tandem apud Dei tribunal sistemini, omnium quæ fratri- 1 Ioh.3,20.

 bus

bus feceritis rationem reddituri, omni humano auxilio, & mundana pompa nudati, nullisque vestris ministris stipati: tanto duriorem sententiam à summo judice audituri, idque ex conscientiarum vestrarum contra vos testimonio, quantò vos ipsi duriorem contra fratres sententiam sæpe dixeritis; idque sine accusatoribus, sine testibus. Imò in hac ipsa fortasse vita, id vobis accidet, propter quod clamabitis, nullam tamen gratiam inventuri. *Qui enim obthurat aurem ad*
Prov. 21,13. *clamorem tenuis, etiam ipse clamabit, sed non exaudietur.*

6. An non Dominus noster Iesus Christus Iohan-
Ioh. 13,13. nem, quem dilexit, ut & alios quosdam condiscipulos
Marc. 9,38. Luca 9,49. reprehendebat, quòd quendam, qui Christi nomine dæmonia ejecerat, prohibuissent: idque quia ipsos noluit sequi ad Christum ipsum euntes? An non hæc prohibitio erat suspensio? An non ipsorum reprehensio, tantò gravior quòd ab ipso Christo esset? An non causa ipsa propter quam illi discipuli conjunctim ita ipsum prohibuerunt videtur justa, quòd scilicet ille ita prohibitus noluerit ipsos sequi, idque ad ipsum Christum proficiscentes? An non plurium discipulorum authoritas tanta quanta nunc est unius Episcopi, cancellarii, archidiaconi, vel commissarii? Singula hæc (obsecro) considerate, & cogitate quid tandem responsuri sitis eidem Christo, in gloria Patris sui venturo, omnibus suis angelis comitato, & quando
Act. 4,6,18 vos ipsos pudebit, quot & quantis silentium imposueritis, & cum illis sacerdotibus Anania pontifice, Chaipha, Iohanne, Alexandro, &c. mandaveritis *ne omninò loquerentur, vel docerent in nomine Christi:* Christus autem ipse à vobis quæret, vel potius vobis objiciet vestrum illud facinus. An ex vobis ullus major illo Iohanne? aut ullo alio ex ipsius discipulis? An ullus

præ-

præſertim illis omnibus coujunctis major? An maius tum erát opus dæmones ex hominum corporibus ejicere, quàm hodiè hominum animas liberare diaboli vinculis, & ipſorum oculos (ſcilicet mentis) aperire, quò à tenebris ad lucem convertantur, & à poteſtate Satanæ ad Deum, &c? An vos ſequi plus eſt quàm ſequi Apoſtolos? Imò, an qui vos ſequitur & vobis obtemperat in veſtra ſubſcriptione, & conformitate, vos ſequitur ad Chriſtum? Non audeo profectò negare, multos verè pios ſubſcribere, & ſe ceremoniarum obſervationi ſubjicere; ſed multos aio hæc facere, ex veſtræ ſeveritatis magis metu (cum multis ex Iudæorum Primoribus) quàm ex recto Chriſti amore, aut ſana ſaltem rerum ipſarum approbatione: Nego etiam ſubſcriptionem & conformitatem ad Chriſtum ducere, ſed potiùs à Chriſto abducere, & ad Antichriſtum trahere: ut quæ ab ipſo primùm inſtituta erant, aut quæ viam ipſi ſtraverunt: & quæ deniq; cum ipſo & ipſius jam ſynagogis, communionem potiùs habent, quàm cum ullis aliis Chriſti eccleſiis reformatis. Poſtremo, an ex verbi ab illis veſtris fratribus prædicatione, negabitis Deum operatum eſſe fidem? An non *per fidem potentes fiunt homines ad ignita omnia Mali illius tela extinguenda?* Imo, *per fidem ſuperamus mundum, adeoque & mundi principem diabolum.* Negantibus vobis, ex illorum veſtrorum fratrum prædicatione, dæmones multorum cordibus ejectos, reclamabunt multi hoc experti: & illorum fratrum facti literæ commendatitiæ: Reclamabunt veſtræ conſcientiæ.

Act. 26, 18. Ioh. 12, 42. Ephes. 6, 16. 1 Ioh. 5, 4. 2 Cor. 3, 2, 3

7. Cum prioribus cogitate Iehoſchuam petentem ex juvenis cujuſdam querimonia, Eldadum & Medadum à prophetando in caſtris prohiberi, non tantùm

Num. 11, 26 27.

non placuisse Mosi, sed acriter etiam à Mose fuisse increpatum: quinetiam optasse Mosem totum Dei populum prophetas fuisse, ex spiritu Dei ipsis infuso. Nisi ergo negare poteritis, fratribus illis vestris spiritum prædicandi à Deo fuisse inditum: nec prædicandi tantum, sed etiam secundùm verbum ab ipsis prædicatum vivendi: Nisi etiam poteritis negare utraq; ista à vobis ipsis in ipsorum tum ordinatione, tum institutione fuisse approbata: quo jure (proh dolor) potestis ipsos à prædicando prohibere; & ita prohibitos tam diù tenere? Quid, quòd etiam Paulus, &

Philip. 1,15.

lætatus fuerit, & se lætaturum dixerit de verbi à quibusdam prædicatione; licet per invidiam & contentionem, & non purè: idq; ita ut vincula ipsius graviora fecerint? An vos ergo puræ Christi prædicationi, sine ulla invidia & contentione invidebitis? An præsertim ita prædicantibus, silentium imperabitis? Quis justè potest conqueri ullius ex ipsorum prædicatione vincula augeri? Imò multorum potius vincula & nexus solvuntur, qualis erat ille injustitiæ nexus, quo Simonem Magum irretitum teneri dixit Petrus; & propter quem ipsum à malitia sua resipiscere est hortatus: & quo omnes constricti, nullam habent partem vel sortem cum reliquis sanctis, sed corde potius sunt non recto coram Deo. Quid ergo? An vos majore estis authoritate ad silentium vestris fratribus imponendum, quàm erat Paulus ad illos ita prædicantes coercendos. Neminem ex vobis ita dicturum arbitror. Neq; hìc prætereunda gravissima Victoris Episcopi Romani reprehensio ab Irenæo propter plurimarum Ecclesiarum integrarum, imo omnium Asiaticarum ab ipso excommunicationem, quòd in tempore tum celebrandi paschatis, tum jejunandi

Act. 8, 22, 23.

Euseb. hist. eccles. lib. 5, *cap.* 23.

nandi, aliisq; ejusmodi rebus cæremonialibus communionem non tenerent cum ecclesia Romana. Quantùm quæso discriminis inter illam Victoris communionem sibi & suæ ecclesię Romanæ à reliquis ecclesiis tunc arrogatam, & hanc vestram conformitatem fratribus vestris a vobis nunc imperatam? Deniq; non hìc prætereundum Pauli testimonium, quòd nempe Iudæos dicat fuisse omnibus hominibus adversarios, 1 Thess. 2, 15. 16.
idq; probet ab ipsorum prohibitione Apostolorum, ne gentibus loquerentur: verba scilicet salutis. Videte ergo vos (clarissimi viri) ne tandem Paulo major, Dominus & Servator vester & electorum omnium vos dicat, tum illis vestris fratribus, tum & toti totius huius regni populo (cuius saltem ministros abstulistis) adversatos fuisse, quòd ora multis occluseritis, ut sermonem Coloss. 4, 4.
vitæ, vel non omninò loqui, vel non ita patefacere potuerint, ut ipsos oportuerat.

8. Dignum etiam est vestra consideratione & seria examinatione, an quidam ex Episcopis non fuerint fratrum suorũ sanguinis rei. Nonne satis est ipsos dixisse, vel adhuc paratos esse dicere cum Pilato, *innoxios ipsos fuisse, aut esse, à fratrum suorum sanguine*, quòd violentas manus nullis intulerint, (a quo tamen abstinuisse Math. 27, 24.
videntur quidam ex regis potius clementia, quã ex ulla ipsius Dei reverentia) sed satis est ad sanguinis reatũ, vitæ subsidia non suppeditare: multò magis ea subtrahere. An non etiam aliquos in custodia & carcere tenuerunt ad morbos mortales, & ad ipsam mortẽ? Videant quoq; aliqui, ne ab eiusmodi ad ipsam mortẽ ęgrotis, tũ per se, tũ per alios supplicantibus, locũ mutandi veniã negaverint, ad valetudinem scilicet suam meliùs curandam. An isti quærenti ab ipsis Deo (ut aliquando quæsivit à Caino) ubi essent ipsorum eiusmodi fratres, Genes. 4, 9.

respondere potuissent, ut respondit Caïn, de fratre suo Habele, tum occiso; Non novimus: an custodes fratrum nostrorum sumus? Minimè sanè: vel si ita respondissent, magis profecto ementiti fuissent, quàm sævissimus ille Cain. Imo videte, an in morte ejusmodi fratrum, illiusmodi Episcopi severitati finem posuerint, an potius honestam sepulturam ipsis negaverint: sed noctu illos sepeliri mandaverint, tanquam noctis scilicet & tenebrarum filios: Sed nolo hoc fusiùs persequi. Si qui ex ejusmodi Episcopis adhuc sint superstites, Deus illis hoc peccatum non imputet. Neque quod hac in re dixi, accusans dixi, sed tantùm amanter monens. Hoc solummodo nunc addo, multiplicibus & gravissimis injuriis aliis, ita ejusmodi Episcopos fratrum suorum animos fregisse, ut ossa etiam ipsorum omni medulla exhauserint, &
Act.20,27. prorsus ad sepulchrum ipsum exsiccaverint. Quid tamen hæc omnia, ad multorum ex ipso populo sanguinem animarum, tum ipsos celando Dei consilium:
Math.23,13 tum *claudendo coram hominibus regnum cælorum, atq; ita eos non sinendo introire, qui introire velint.*

9. Huic mederi malo vestrum inprimis est, si tales verè sitis quales haberi vultis. Et quidem sunt (agnosco ingenuè) ex vobis aliqui, qui tum sæpe prædicant, tum sincerè & piè verbum ab ipsis prędicatum accommodant: idque sine omni humanæ sapientiæ & eloquentiæ ostentatione, vt qui populi magis ædificationi, quàm applausibus studeant: imo, qui & alios ad verbum similiter prædicandum gravissimè hortantur. De hoc quantas debemus omnes Deo gratias? Quantum piorum omnium esse debet gaudium? Tales tamen & vos omnes humilimè precor, nec non & per miserationes Iesu Christi magnopere hortor (qui tantopere

topere ecclesiam suam dilexit, ut seipsum pro ea dederit) non tantùm ita sincerè & diligenter verbum prædicandum aliis sermone commendare, sed & hoc diligentissimè ubique fieri curare. Incredibilis profectò est plurimorum ubique ignorantia, quæ non parit devotionem, ut impiè blaterant Papistæ, nisi ad impiam & sacrilegam ipsorum religionem, sed omnem impietatem & injustitiam. Imò hæc ignorantia omnium ubique malorum contra Deum, contra homines mater est, fons, & origo. Tantò ergo & diligentiorem & vehementiorem verbi prædicationem, tempestivam & intempestivam postulat. *Cùm non est visio nudatur* 2 Tim. 4,2.
populus: omnibus scilicet bonis, tum & futuræ, tum Prov. 29,18
& huius vitæ: quemadmodum ut paulisper tantùm absente Mose, & Dei eloquia non declarante ut solebat, Israelitæ ad extruendum sibi vitulum aureum, dicuntur se nudasse, tum nimirum Dei gratia & præsidio, tum & inauribus aliisque ornamentis aureis, quæ sibi detraxerant, & ad vitulum illum aureum conficiendum contulerant. Exod.32,25

10. Vt huic autem periculosissimo hujus ecclesiæ morbo medeamini, præter ea quæ priùs dixi, vos si verè velitis vos episcopos approbare, oportet Nonresidentibus omnibus & pluralistis vos opponere, & quantùm poteritis (pro præsenti autem, & rebus adhuc sic stantibus potestis plurimùm) studere prorsus tollendis & abolendis. Sunt profectò huius ecclesiæ maculæ nullo modo tolerandæ, nullo modo excusandę. *Dignus est operarius mercede.* Qui autem non operatur sed totus otiatur qua æquitate mercedem potest vendicare? Qui etiam magis operatur, is majore mercede dignus. Quid ergo dicendum de nonresidentibus, tum qui non operantur omninò, tum quorum curati magis fortasse laborant,

laborant, minorem autem per multos gradus mercedem accipiunt? & qui ipſorum non-reſidentium ſunt quidam ſervi, & quodammodo etiam mancipia? Vt qui huc & illuc moveant, & hic & illic ſerviant ad dominorum ſuorum placitum? Miror ſanè hæc mala, (non-reſidentiam & pluralitatem) ab aliis omnibus reformatis Eccleſiis rejici, nec eorum nomina in iis audiri, à vobis tamen teneri & propugnari. Quinquaginta ab hinc ferè annis, ita odioſum erat in academiis non-reſidentium nomen, ut qui tum tales erant (erant autem pauciſſimi) vix auſi fuerint in publicos conventus ſacros prodire. Heu quantùm nunc, tempora mutantur, & nos mutamur in illis? Tantum profectò callum omnibus obduxit conſuetudo, & magnorum præſulum patrocinium, ut hæc mala jam non ſentiantur, nedum agnoſcantur, ſed impudentiſſimè potiùs propugnentur. Quantò pleniùs, & firmioribus argumentis multi apud nos ipſos hæc mala convulſerunt, & tranſfixerunt, nimirum optimi nominis Dr. Whitakerus, contra Pontificis Romani vicarium paſcendi modum, de Pontif. Rom. controverſ. 4. quæſt. 2. Dr. Mortonus apolog. part. 1. cap. 20. Dr. Willetus in 1 Sam. 17. 28. ſic & doctus Atterſolus in Philem. Quantò (inquam) iſti & alii pleniùs & ſolidiùs contra capitalia hæc mala ſcripſerunt, tantò magis mirandum hanc noſtram eccleſiam iſtorum non pudere: imò diù antè hæc non expuiſſe. Miror ſanè ipſe qua fronte poſſint noſtri nonreſidentes, illa omnia legere; inprimis multas ſcripturas Ezech. 34, 4, &c. Zach. 11, 17. Act. 20, 28. 2 Tim. 4, 1, 2. Ipſe (inquam) miror qua fronte non-reſidentes noſtri hæc & multa alia legere poſſint ſine rubore. Quid plura? Tantò profectò magis miranda videtur hæc ubiq; nonreſidentia, quòd

vos in quibuſdam veſtris canonibus agnoſcatis nonreſidentiam rem eſſe abhorrendam, & populo odioſam. Quis hinc ſingulare aliquod remedium non expectaret? Quis præclaram aliquam huius vitij reformationem non ſperaret? Vel omninò tamen nulla ſecuta eſt, vel ſaltem inviſibilis. An enim pauciores jam ſunt quàm priùs erant nonreſidentes? Nihil minùs: ſed longè plures: & quotidiè creſcunt. Ipſi curati unius loci alibi beneficiati ibi ſuos habent curatos, adeoque à propriis beneficiis ſuis abſunt.

11. Vt paulò adhuc uberiùs de his vitiis dicam, pro veſtro acumine ſummo (quæſo) conſiderate nonreſidentes omnes & pluraliſtas nova quędam eſſe monſtra quorum ſimilia ſunt prorſus inaudita. Quid enim? Annon ejuſmodi omnes nonreſidentes & pluraliſtæ ſe gregum illorum quibus præſunt capita quodammodo dici volunt? Quàm autem hoc admirandum, unum caput plura habere corpora? Quædam corpora deſcribuntur plura habentia capita: ut ſepticeps tum ille draco in cælo, tum illa beſtia è mari aſcendens. Hæc tamen narrantur tanquam ſigna, & ſigna magna. Ita poetæ Cerberum ſuum finxerunt canem tricipitem. Nunquam autem vel vidit Iohannes, vel finxerunt poëtæ, vel audivit quiſquam alius caput ullum unum plura habuiſſe corpora. Multa regna unius Regis ſunt tantùm ſubalterna Regis membra. An hoc dicendum de nonreſidentibus & pluraliſtis pluribus parochiis præfectis tam longè à ſe invicem diſſitis, vel quarum incolæ non poſſunt, vel ſaltem nolunt in eundem locum convenire? Alia quoque eſt ratio Regum quàm verbi miniſtrorum, quos diſertè prohibet Chriſtus ſimiles eſſe Regibus. Reges ex verbi divini authoritate tum multa ſceptra poſſunt tenere, tum alios

Apoc. 12, 3. & 13. 1.

Mat. 20, 25. 26. Lucæ 22, 25, 26.

sibi substituere, quibus çquè jubemur subjici atq; ipsis?
1 Pet. 2, 13. 14. Nihil tale legimus de verbi ministrorum ministris, aut de ulla iis præstanda obedientia. Ecclesias quoq; Ephesinam, & Philipicam legimus plures habuisse Episcopos sive verbi ministros; nunquam autem legimus in scripturis, unum & eundem pastorem pluribus Ecclesiis præfectum. Apostolorum & Euangelistarum alia ratio erat, nec ullo modo nisi stultè possunt ipsorum exempla ad nonresidentiam & beneficiorum pluralitatem stabiliendam accommodari. Atq; etiam ineptum est quod quidam dicunt satis esse ministrum in ulla ecclesia docere, modo in eodem sit regno. Pari enim ratione parochiani omnes se clamare possunt liberos esse, nulli ministro uni obstrictos, sed sui juris, ad verbum ullo in loco audiendum, modo in eodem regno audiant. Quanta hinc sequetur confusio? Vbi ministri digni sunt mercede, aut potiùs mercedem accipiunt, ibi dignus est populus, qui pro mercede doceatur. Nec propter eruditionem, digni sunt mini-
1 Thes. 5, 12 13. 1 Tim. 5, 17. stri vel honore, vel amore, vel præmio, sed propter opus: laborem nempe in sermone, & doctrina. Vt nonresidens quisq; & pluralista est quoddam monstrum plura habens corpora, ita videtur quoque nomen collectivum, quod terminationem quidem habens singularem, verbo tamen gaudet plurali. Quisq; enim nonresidens & pluralista est verè quidem singularis numeri: stat tamen pro multis, & quod multis debetur solus accipit & devorat, non tamen præstans quòd unus præstare debet. Præterea & hoc in eiusmodi non-residentibus & pluralistis, eorumq; longè dissitis corporibus videtur mirum. Quid autem? Quod unumquodq; corpus à capite disjunctum vivat, edat, bibat, laboret sibi & suis, & capiti:

piti: nec non & dormiat, ſed multis curis implicitum & diſtractum. Quòd etiam vivat & ipſum caput, à corporibus ſuis quaſi diſſectum, edat, bibat, ludat: dormiat quoq; ſecurè & ſuaviſſimè: nullis omninò curis occupatum, niſi ut teneat quæ habeat beneficia, & plura corroget: vel quæ habet in pinguiora mutet: aut majorem aliquam dignitatem aſſequatur, ut ſemper edat, bibat, epuletur, ludat, dormiat, omnique voluptatum genere fruatur cum illis Amozi temporibus, neſciens tamen *Hamos 6.*
an eadem ipſa nocte anima ſua ſibi ſit auferenda. *Luca 12,20*
Ad hæc nonreſidentium & pluraliſtarum illorum beneficia, ipſis abſentibus ſunt quaſi verba imperſonalia, quæ perſonis carent: habent quidem unam quam tamen non habent ut debent: habent etiam unam, cum tamen plures habere debent. Habent deniq; plures, nec tamen recte unam habent. Nemo dicat, hæc facetè potiùs quàm theologicè dici, & magis facere ad lectorum oblectamentum, quàm veſtram gravitatem decere. Eſto. Ego quidem me theologiæ profeſſorem non prædico. Et quis unquam me ita agnovit? Vt pleniùs etiam priori objectioni occurram, præſens argumentum lachrymas potiùs poſtulat quàm facetias, & quicquid de eo ſcripſi, non ſcripſi ridens, ſed flens potiùs, & ſcriptum ve- *Philip. 3,18.*
lim intelligi, ad horum ſcelerum tùm majorem deteſtationem, tum celeriorem reformationem faciendam.

12. Sed ut ego pergam, & ut vos omni innoxij ſanguinis reatu & ſuſpicione veſtras poſthæc manus meliùs purgetis, (ſanguinem intelligo animarum) ſtudete (obſecro) quamdiu & quantùm poteritis, verbum diligentiùs & puriùs ſine omni mixtura & obſcuritate

ab aliis prædicari. Multi quidem prædicant obliti prorsus quomodo Paulus prædicaverit, *non cum eminentia facundiæ, aut sapientia humana, nec cum persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, &c.* sed neglecta populi ędificatione, toti student eloquentiæ & eruditionis ostentationi. Alii toti debacchantur, & quasi rixantur contra fratres, imò & contra eos qui ipsorum & patrum suorum patres esse possent, pro humanis traditionibus omninò contendentes, Dei autem mandata prorsus omittentes. An isti sermonem *veritatis rectè secant? & quæ sanam doctrinam decent loquuntur?* An hoc est *verbi divini sensum* cum Ieshua, Bani, & aliis ita *exponere, ut populo dent intelligentiam?* Nihil minus. Huiusmodi concionatores sibi fortasse & quibusdam aliis inani verborum strepitu magis delectatis, quàm sana veritatis secundum pietatem cognitione, placere possunt: Deo certè non placent, nec Christo serviunt, nec ipsis, quibus maximè videntur placere, quicquam prosunt. Alii sunt in vita ita dissoluti, & epulorum, commessatorum, aleatorum socii, diversoria & tabernas in eodem oppido sectantur, imò etiam & ita indecorè in ipsius Dei locum (tanquam ganeones comati ascendunt, ut plus hoc vitæ exemplo noceant, quàm verbi prędicatione etiam sana, ecclesiam juvent. Hi quidem ambulant (ut Paulus ait) sed ita ut verè pii de ipsis non possint loqui, neque ipsos audire nisi flentes, & lachrymas abundantissimè tanquam aquarum rivulos effundentes. Si ita fleverit Propheta propter homines plebeios, qui legem Dei non observarunt, heu quantæ verè piorum omnium lachrymæ esse debent, propter ministros omni impietate abundantes, quos tamen inprimis oportet tum *terræ esse salem*, tum *mundi lucem?* Hæc si vestri ordinis ulli ex officialium suo-

1 Cor. 2, 1, 4. — Mar. 7, 7, 8. — 2 Tim. 2, 15 — Tit. 2, 1. — Nehem. 8, 8. — Galat. 1, 10. — Philip. 3, 18. — Ps. 119, 136 — Math. 5. 13, 14.

ſuorum incuria & negligentia, nec non ex aliquo mu-
nere ipſis largito, ignorent (quod certè ex charitate fa-
cilè credo) tum ſane tanto maiorem diligentiam & cu-
ram abhibere debent illi, ad hæc mala poſthęc meliùs
cavenda. Præterea, cum Apoſtolus non tantum
mandet Epiſcopos ſive miniſtros eccleſiæ præfici qui
eſſent ipſi bene morati, ſed qui domibus & familiis *1 Tim. 3, 4.*
etiam ſuis bene præeſſent, & tum liberos continerent
in ſubjectione, & tùm uxores haberent honeſtas &c.
(quod enim de diaconorum dicitur uxoribus, illud de
miniſtrorum uxoribus multo magis intelligendum)
proinde etiam multorũ miniſtrorum familias, (enixè
peto) intueamini, non tantùm magnorum pręſulum,
& opimè beneficiatorum, ſed quorundam quoque
aliorum: Imò etiam eorum, qui majorem titulum
quàm curatorum non habent. Quales enim pro vita
quoſdam dixi miniſtros eſſe, tales multorum uxores,
liberi, famuli. Imo eorum qui ipſi videntur mode-
ſtiores uxores miro quodam veſtitus genere induun-
tur: imò profectò, quod vix ullas modeſtas fæminas
decet. Filij ſunt comeſſatores, epulones, aleatores,
ganeones cùm maximis. Filiæ per omnia ſimilimæ
ſunt illis filiabus Zionis, quas tam copioſè deſcribit *Iſai. 3, 16.*
Propheta, & quibus pro ſumma ipſarum ſuperbia, & *&c.*
protervia, ſcabiem, pudendorum nuditatem, tabem
cinguli diſſolutionem, caluitium, cinctum cilicii, &
uſtionem minatur. Dedignantur ſcilicet vel militum,
vel ipſorum nobilium filiabus in ullo ornamentorum
genere eſſe inferiores: ſive veſtium ipſarum ſubſtan-
tiam (ut ita dicam) ſpectemus, ſive multiformitatem.
In omni formarum varietate & novitate primæ ſunt
cùm primis, cùm maximis. In plumis quoque heu
quanta luxuries? Quanta quoq; colorum omnium

 varietas?

varietas? Quales autem famuli? Quales ſcilicet filii: Comati ad ipſos humeros: Aleatores, bibaces, tum ad ſui ipſorum, tùm ad aliorum ebrietatem. O utinam iſta ita ſpectaretis, ut alii ſpectant. Spero profectò ex vobis aliquos, non mecum tantùm lucturos, ſed etiam pro authoritate reformaturos. Non ſatis ſanè eſt cum Heli reprehendere, ſed ſeverè etiam oportet ad emendationem corripere, & punire. Ex his enim, Ex his fit, ut alii ferè omnes omnia pietatis munera ſpernant: Patres compellamini. In his ergo coercendis patres vos demonſtrate. Omnes quidem miniſtri patres eſſe debent. Illi autem de quibus antè conqueſtus ſum, quales patres dici poſſunt? Qualem ſcilicet Calvinus Paulum III. dicit Patrem Caroli V. At qualem intelligit? Qualem profectò poëtæ finxerunt Saturnum eſſe, qui filios videlicet devoravit.

1 Sam. 2, 22

Calv. in ſchol. in epiſt. Pauli iij. ad Carolum v.

13. Cum prioribus numerentur miniſtri inprimis indocti, & ad docendum prorſus inepti: imò veritatem ab errore diſtinguere omninò inſcientes, adeoq; vel tantùm legentes, vel ſi quandò concionari ſibi arrogent, venenum pro ſana doctrina tradentes. Sexaginta jam annis ferè elapſis, vir quidam doctiſſimus & graviſſimus dixit mihi, ſe ex poteſtate ſibi facta ab illius diocœſeos epiſcopo, ad indoctos eius loci miniſtros coram ſe vocandos & examinandos, nec non ad imponendum ipſis quædam exercitia eruditionis, ex quibus ad miniſterii opus aptiores fierent: inter alios incidiſſe in unum cuius ignorantiam non potuit non admirari, & ita admirari, ut hoc ipſum eidem indocto miniſtro dixerit, quod ſcilicet tam diù in miniſterio verſatus, & ex miniſterio vivens non plus profecerat. Imò inquit

ipſe,

ipſe, ſi tu rem omnem ſcires, nequaquam diceres me non profeciſſe. Itane verò inquit ille, quid demùm profeciſti? Dicam inquit ipſe, Cùm primùm ad hoc beneficium provectus fui, ita prorſus literarum neſcius eram, ut coactus fuerim tota hebdomada, capitum die ſolis ſequenti legendorum lectioni ſtudere. Nunc verò ex quotidiano illo meo legendi ſtudio tantum profeci, ut ex bina vel trina capitum lectione die ſabbathi, optimè poſſim ea die ſolis legere, ſine ulla hæſitatione. Vtinam omnes eiuſmodi inertes & indocti miniſtri cum eodem obierant. Sed proh dolor, multi ſunt hodiè ſimiles etiam recens ordinati: ſi non in Auſtralibus, in Occidentalibus tamen & Borealibus partibus, atq; etiam in Wallia, ubi hominum animæ æquè Deo ſunt prætioſæ atq; alibi. Neq; tamen priùs illud exemplum hic interpoſui propter ipſius tantùm ignorantiam, ſed altiùs quiddam ſpectans. Hoc nimirum, quòd ex illa poteſtate eidem docto miniſtro & aliis quibuſdam, indoctos examinandi, multi ex illis indoctis beneficia ſua prorſus reliquerint, & profligati ex metu aufugerint, nunquam poſt reverſi. Ita ſanè ſi & vos majore contra eiuſmodi uteremini ſeveritate, vel fugerent fortaſſe eiuſmodi, vel ſeipſos tanquam miniſterio indignos abdicarent. Neq; verò hic prorſus rudes & inertes tantùm intelligo, ſed & doctos quoſdam habitu, non autem actu: ut qui ſemper otientur & deſides domi ſedeant, bene quidem corpore valentes, ſed tamen nihil omninò docentes, nec docere volentes. Per antiphraſin quandam tales doctores dici poſſunt, tanquam mons à movendo, quòd nunquam moveat, nec moveri poſſit. Ita Ptolomæus quidam Philopater cognominatus eſt, id

Tremel. in Dan. 11, 11.

id eſt, patris amans, eò quòd ut hiſtoriæ (teſte Tremellio) referant, parentes necaverit. Imò quidam tum ex magnis doctoribus, tum ex ipſis nonreſidentibus, nec concionantur ipſi (niſi rariſſimè & tùm etiam fortaſſis vaniſſimè) nec volunt alios ſuis gregibus concionari. Iniquè etiam ferunt, ſi curati ipſorum diligentiam aliquam in prædicando præſtent. Ipſis Dominicis diebus populum ſuum malunt edere, bibere, ludere, ebriari, huc & illuc vagari, hìc & illic furari, ſcortari &c. quàm binas conciones audire. Quid hoc aliud eſt, quàm quod antè diximus *claudere regnum cælorum coram hominibus* (imo contra homines) *& volentes introire non ſinere.* Si ita ægrè & indigne tulerit Deus Hamalekitarum oppoſitionem factam Iſraelitis ad terreſtrem Canaanem profecturis, ut tum ſtatim juſſerit librum ſcribi de perpetuo cum ipſis bello: tum quadragentis poſt annis Sauli mandaverit, gentem illam totam, viros & fœminas, pueros & lactantes, cum bobus, ovibuſq;, camelis, & aſinis perdi & penitùs deleri; heu quanta tandem erit ipſius indignatio, contra omnes electorum ſuorum adverſarios ipſis ſe (quantùm poſſunt) opponentes, hìc peregrinantibus, & verſus cælum ipſum proficiſcentibus, cuius terra illa Canaan, erat tantùm typus? Hæc omnia (ornatiſſimi Patres) tanto liberius & uberiùs apud vos dixi, majore veſtra fretus poſthæc contra illos omnes ſeveritate: Imo tanto majore, quanto priùs majorem exercueritis ſeveritatem contra fratres illos veſtros, doctos, pios, & in miniſterio ſuo diligentiſſimos, nulloque modo culpandos, niſi pro ficto puritaniſmi crimine. Quanto enim mitiores & clementiores erga illos improbos, imperitos & ignaros miniſtros hactenus fueritis, tanto profecto major & durior videtur

Matth.13,23

Exo.17,14.

1 Sam. 15, 2, 3.

vestra prior contra vestros illos fratres severitas & inclementia : ut quos ex Episcopis quidam nunquam sereno vultu dignati fuerint, sed torvo semper aspexerint. Imò ne eiusmodi Episcoporum servi bonis verbis eiusmodi bonos ministros sunt allocuti, sed duris & ferocibus tanquam ipsorum domini, & tanquam Nabal, quem servi sui dixerunt ita nequam, ut nemo potuerit ipsum alloqui. Tales (inquam) quorundam Episcoporum famuli ministros non subscribentes & conformantes non pluris faciunt, quàm calceos suos multis itineribus prorsus contritos. Hæc profectò & alia severitas multiplex, multos fidei eosdem articulos vobiscum profitentes & tenentes fecit, tùm ab Ecclesia nostra deficere, tùm & ipsam Ecclesiam nostram ita abnegare, ut in transmarinas ditiones secesserint: Hieronymus (ut nostis) testatur Tertullianum, qui suæ ætatis decus quoddam dicitur, tandem tamen per invidiam, & quas à Romana Ecclesia passus fuerat contumelias in Montanistarum errorem lapsum, & semel lapsum, nunquam ad contrariam veritatem rediisse. An non & simile de Audio quodam refertur, qui gravissima primùm passus à luxuriosis suæ ætatis Episcopis & presbyteris, quòd ipsos vitiorum suorum reprehenderat, se demùm ab Ecclesia separavit, multosque secum in eandem separationem traxit? An non & Apollinarius in hæresin suam incidit ex nimia severitate Georgij Episcopi Laodiceni? An non & Vitalius alioqui vir optimis moribus se sociũ adjunxit Apollinario propter sui contemptum apud Flavianum Antiochenum Episcopum? An non & quidam in conformitatis vestræ communionem semel ducti longiùs progressi sunt, tum ad fratrum suorum persecutionem,

1 Sam 25, 17

In Catal. test.

 tum

tum ad gravissimorum quorundam scelerum perpetrationem, vel saltem ad avaritiam sine omni satietate? An non alii in tantum animi mœrorem lapsi sunt, ut nunquam læte pòst vixerint, sed summa cum anxietate, summis cum cruciatibus, spiritusq; amaritudine, suum tandem spiritum emiserint? An hęc levia sunt severitatis vestræ effecta? Imo sanè quid aliud so-
1 Sam. 26, 19. nant hæc omnia quàm quod David conqueritur de Saule, Ipsum scilicet expulisse eum hodiè, ne cooptatus hæreat, possessioni Iehovæ, dicentem cole Deos alienos?

Scandala ex cæremoniis.

14. Sed his missis, vel saltem pro tempore intermissis, cogitate quæso quantùm fuerit & adhuc sit ex cæremoniis vestris scandalum. Ne putetis tam diu prædicato Euangelio non metuendum esse à scandalis: Quæ enim in Scripturis dicuntur, vel de scandalis, vel
Philip. 1, 10. contra scandala, non habebunt finem donec ipsius
1 Cor. 8, 13. mundi finis aderit. Ecclesia non est sterilescens mater, sed secundum Dei ipsius naturam semper paritu-
1 Pet. 2, 2. ra, & liberos cuiusque ætatis & staturæ habitura: in-
2 Ioh. 2, 12, 13. fantes, pueros, adolescentes, juvenes, viros, senes. Semper parit, & semper est gravida: ut justus semper ger-
Psa. 92, 12, 13. minabit, & tanquam cedrus in Lebano crescit, &c. Ita ecclesia justorum omnium mater. Quinetiam ut ex iisdem parentibus nati, & eodem modo nutriti & educati, non semper sunt eiusdem staturæ & roboris, sed aliquando ętate seniores sunt statura & viribus minores, ita quidem in Ecclesia multi & capacitate & judicio superantur ab ipsis junioribns. Nemo præterea ita in fide fortis, ut ab omni scandalo sit tutus. An non
Mat. 16, 23. Christus dicit Petrum sibi scandalo fuisse? Imò, abscedendi ibi verbum docet, nullam vel ipsis optimis debere cum iis esse communionem, qui eiusmodi homi-

num

num scandala parvi faciunt. Vestras profectò cæremonias, ex quibus maxima sunt scandala, ne dedignemini mendicas & impotentes dici, cum ipse Apostolus Dei & legis cæremonias abrogatas ita dixerit. Quis unquam ex illis erat fructus, nisi ad bonos, pios, & laboriosos ministros ex Dei vinea & messe ejiciendos: aliosq; viros bonos molestia afficiendos? Siccæ sanæ & aridæ sunt. sine succo & sanguine: & quæ multos ad mendicitatem ducunt, qui priùs erant saturi, & ex saturitate sua plurimorum & corpora & animas satiaverant, refecerant, & refocillaverant. Quæ autem ex vestris cæremoniis unquam erat ædificatio? Imò quanta potius destructio? Quanta perditio? Vestras fortasse curias pinguedine implent; sed quot alii macilenti fiunt? An non melius esset, vos earum unamquamq; cum detestatione rejicere, & ei dicere, Apage? Nemo pro iis tolerandis objiciat consuetudinem. Cassander Papista ex Augustino scribit, *Nimiam consuetudinem variarum cæremoniarum oblata occasione resecandam, etiamsi fidei non videantur adversarii, &c. Si demonstrari potest aliqua his postremis temporibus, vel per inperitiam & negligentiam, vel etiam per ambitionem & avaritiam instituta, & recepta esse, quæ non modo utilitatem nullam, sed etiam noxam Ecclesiæ adferant* (quales vestræ certè sunt cæremoniæ) *ea quin primo tempore mutanda sunt, negari non potest.* Hęc & alia Cassander. Vt ad scandala redeam; cavenda sunt, non tantùm propter eos qui sunt intra ecclesiam: sed etiam qui sunt extra: ne scilicet ab Ecclesia arceantur. Sunt etiam tam in placendo, quàm in displicendo. Vt perdi possunt pii, quantum est in scandalorum patronis & propugnatoribus, ita indurari possunt impii, præsertim Papistæ, quasi ipsorum tum cæremoniæ, tum & tota

Gal. 4, 9.

Rom. 14, 15

Isa. 30, 22.

In consul. p. 60, vel 72.

pag. 62, vel 78.

1 Cor. 10, 32.

Rom. 14, 15 20.

religio non ita esset detestanda, ut nos esse demonstramus. Si Christus jusserit Petrum, quem nudaverat & strinxerat gladium ad Christum propugnandum in locum suum reponere, quantò magis vos subscriptionis & conformitatis vestræ gladium debetis ad locum transmittere unde fluxit, quo tam diu Christum eiusq; populum oppugnastis, & ex multa parte transfixistis.

Mat. 26, 51. Ioh. 18, 10.

15. At dixeritis fortasse, vos conformitatem imponere, tantùm ad ordinem, non ad ullam necessitatem: eoq; tantò melius nunc posse cæremonias aliamque conformitatem sine ullo scandalo tum imponi tum observari: ut ipse Paulus Timotheum circumcidit: post verò à Pseudoapostolis aliisq; Iudæis imposita circumcisione pro necessitate, nullo modo Tito circumcidendo voluit cedere. Respondeo, 1. longè disparem esse cæremoniarum vestrarum rationem, & cæremoniarum quæ ab ipso Deo aliquando institutę erant: & tum quidem cùm circumcisus est Timotheus, mortuæ sed non sepultæ: vestra autem conformitas & cæremoniæ ab hominibus tantùm creatę, nunquam fecerunt ad charitatem vel ædificationem. Imò potiùs multa jam habent incommoda, Papismi scilicet & Papistarum quotidianum incrementum, peccatorum omnium multiplicationem, servorum Dei molestiam, & alia plurima. Præterea nulla scandala (qualia antè dixi esse ex cæremoniis) ferenda vel minima. Quia nullum scandalum est datum, quod non est peccatum. Minimum autem peccatum non faciendum, ad bonum vel maximum prętandum. Minimum Dei præceptum negligi nō potest sine ipsius pręcipiētis lęsa majestate, quantò minus ullum peccatum? peccatum quanto est subtilius, tantò facilius hominem penetrat & fallit. Per scandalum (dicit Apostolus) *non parvum aut magnum* perdis

Rom. 3, 8. Mat. 23, 23. Iacob. 2, 10. Rom. 14, 15 20.

perdis tuum fratrem. Quid minus esca? Quid tamen de esca dicit Apostolus? Etsi ex cæremoniis vestris scandala imperitis quibusdã videri possint parva, vobis tamen pro magna vestra eruditione ita videri non credo. Neq; vos patiamini idem de vobis alium quemvis credere. Quod de ordine dicitis, sæpe à fratribus vestris non conformantibus demonstratum est id totum esse commentitium. Quid ordinis esse potest ab Apostolorum ordine discedere? Quid decori, castissimam Christi Sponsam conformem esse cum Romana meretrice? At quædam fortasse ex vestris cæremoniis priores erant apostasia Romana. Sic & idem dici potest de fidei multis dogmatibus à fide prorsus alienis. Iustificatio ex operibus, Imaginum cultus, pro mortuis preces, & alia multa priora erant papismo & papatu. An jam ergo non sunt papalia? Quod ad negatam à vobis necessitatem ex cæremoniis attinet, non est omninò admittendum. Vos nunc multiplicem facitis necessitatem. Etsi nunc non imponatis ad justificationem, imponitis tamen ad sanctificationem, & quinti mandati observationem. Adeoq; & idem mandatum violari dicitis, nisi de cæremoniis vestra mandata observentur. 2. Conformitatem vestram ita ad ministerium ingrediendum, & exercendum urgetis, ut nec hoc nec illud liceat sine conformitatis & approbatione & observatione. 3. Eandem magis imponitis quàm verbi prædicationem nec non & delinquentes punitis graviùs, quàm non omninò vel raro concionantes. Idem dicendum de gravioribus pœnis non conformantium, quàm comessatorum, epulonum, aleatorum, & huiusmodi in ipso ministerio. Imò quàm eorum qui errores pro sana doctrina tradunt. 4, An non necessitatem conformitatis facitis ad

1 Cor.8, 13.

Multiplex necessitas conformitatis.

 tis ad

tis ad vitam præsentem, ut cuius præsidia & subsidia negatis sine conformitate? Quinta etiam est conformitatis necessitas ad bonum cuiusq; ministri nomen: quandoquidem qui non conformant, eos habetis pro schismaticis, contumacibus, refractariis, rebellibus, puritanis, &c. eosq; sic ab aliis, (etiam posteris) haberi & dici patiamini. Qui vero conformant, eos pro viris bonis, & filiis obedientibus dicitis, licet quid boni faciant, & vos ipsi nesciatis, & nesciant quoq; alij. Imò & hos amplissimè remuneratis.

16. Cùm preterea vos pacis custodes & patroni tanti habeamini, & sic ab omnibus velitis haberi, simulq; omnes conclametis Pax, Pax: & qui vobis fratres sese non conformant pro fratribus non habeatis, sed pro schismaticis, refractariis, pacis conturbatoribus pronuntietis: cogitate (quæso) quantam hinc in ecclesia contentionem vos ipsi excitatis: magistratus cum subditis, ministrorum cum ministris, & cum ipso populo: populi inter se: parentum cum liberis, virorum cum uxoribus, amicorum cum amicis, etiam juvenum, & ferè puerorum cum senioribus, &c. Imò Anglorum etiam cum aliis omnibus ubiq; ecclesiis reformatis: nec non etiam vivorum cùm ipsis mortuis. Hìc quæso cogitate, quid de schismaticis scribat P. Martyr à Richardo Smitho schismatis accusatus, in libro scilicet suo de cœlibatu & votis: sic & quid de iisdem dicat Philippus Morn. de Plessi. in libro de ecclesia. Sic & quid habeat doctissimus noster Mortonus in apolo. Cath. de notis ecclesiæ ex Cassandri lib. consull. artic.

ad object. 4.

cap. 2.

Part. 1, lib. 2, cap. 5.

7. Ex omnibus à Cassandro Papista mutuatis, ita tandem concludit Mortonus, *Ex quo* (inquit) *discere quis possit, Aliud esse pati schisma, aliud verò facere: & hoc Donatistis & Pontificibus, illud protestantibus convenire.*

Quid

Quid ni & fratres illi vestri, quos tantopere pro schismaticis persequimini similiter dicant, facere schisma esse vestrum: pati verò ipsorum. Imò quid ni & vobis retorqueant schismatis objectum crimen, ut aliquando Elija idem retorsit in Ahabum? Hæc omnia (obsecro) ita cogitate, non ut succenseatis, magisque cum vestris illis fratribus contendatis, sed potius ut prioris vestræ contentionis arma omnia deponatis, & tantò magis tum pacem cum ipsis colatis ipsi, tùm quantùm fieri potest, & quantùm opus fuerit eandem ab aliis omnibus fieri, pro viribus conemini: si quidem utcunq; hactenus ad pacem conclamaveritis, veræ tamen pacis adversarii fueritis. An non ita demonstrabitis vos, & beatos, & Dei ipsius filios? *1Reg.18,18* *Matth.5, 9.*

17. Possem hìc apud vos dicere de multiplicibus in hoc regno Dei judiciis, non tantùm pro aliis omnium peccatis, sed etiam pro verbi cursu tantopere à vobis jam diu impedito. Sed huic labori parcam. Omnium autem maximum est maxima omnium securitas: ut quæ tantò majora secutura (nisi interim resipiscamus) prædicat. Hæc omnium securitas tanta est, ut quamvis ex minoribus indignationis divinæ testimoniis multa ante jejunia in terræ motu primo, & Hispanorum sibi proposita invasione, omniū hìc vastatione & depopulatione, nec non & grassante aliquando peste, & premente quoque fame, celebraverimus Londini, in aliis civitatibus & oppidis atque villis, in ipsis etiam academiis: nec non ex ipsis amplissimos fructus messuerimus, Deo ipso ita testante eiusmodi jejunia sibi fuisse gratissima: nihil jam eiusmodi audiatur; nihil ad similia celebranda nos possit provocare. Aliis omnibus Christiani orbis ecclesiis reformatis, nunc jejunantibus tum pro illustrissimo Comite Palatino ad Rhenum, *Lev,26,18.*

num, & Serenissima principe Vxore eius, & ipsorum Regia prole, & pro comitatus ipsorum depopulatione, & tum etiam pro aliis Ecclesiis miserè afflictis, nos soli securi sedemus, edentes, bibentes, ludentes; Imò non tantùm puritani, & schismatici, sed etiam tanquam hæretici, & perduelles fere habentur, qui de jejuniis, & pro jejuniis verba faciunt; præsertim qui ea quamvis clam & tanquam in tenebris celebrant. Hoc profectò peccatum tantò maius, quantò magis nostra inprimis refert (his rebus postulantibus) jejunia celebrare. Hæc religiosa exercitia, vos (gravissimi Patres) dicimini maximè oppugnare. Vtrùm justè an injustè vos videte. Pro antiquo quodam more, civilium jejuniorum dies indicuntur, & in Ecclesiis passim à carnibus abstinentia promulgatur; sed de jejuniis cum prioribus, vel ad ulla Dei judicia avertenda, vel ad specialem ullam gratiam impetrandam, ne verbum: An non quanto minùs timemus, tantò magis à majoribus judiciis timendum? An non ut omnia dicuntur cooperari ad bonum eorum qui Deum diligunt, ita nobis metuendum omnia jam operari ad nostram ruinam, qui ita Dei jugum excussimus, & verba ipsius quasi à tergo nostro abjecimus? Si velitis vos pro regni huius oculis haberi, cavete vos esse simplices, ne ab ipso Christo audiatis, *Si lumen quod est in corpore tenebræ sint, quantæ sunt ipsæ tenebræ?* Ad vos hac in re excusandos, ne in alios, præsertim in Regiam majestatem culpam transferatis: quasi summorum tantùm in quovis regno magistratuum sit jejuniorum indictio. Etsi nolo hac in re multùm refragari, cùm tamen eiusmodi magistratus præficiantur non ad damnum, sed ad bonum ecclesiarum, hoc tantùm à vobis quæro, quorum sit Regem ipsum huius officii monere, simulque

Rom. 8, 28.

Matth. 6, 22 23.

& eius præstandi occasiones, & circumstantias, aliaque omnia docere, nec non ad rem ipsam hortari. Si in hoc regno hoc vestrum esse dixeritis (ut dicturos puto) quare tot sæpe judiciis, aliisq; causis ad jejunium & planctum vocantibus, vos muti sedetis? Ne expectate aliquem vel Isaiam, vel Ieremiam, vel Ioelem, vel Zachariam à mortuis excitandum ad hoc præstandum: sed ipsi hoc facite (si modo vestrum sit) ad bonum tum ipsius Regis, & Regiæ eius prolis, tum regnorum suorum omnium.

18. Proximo in loco, quo mitiores adhuc sitis, ut Apostolus vult Hebræos considerare, qui fuerant Hebr.13,7. bonorum quorundam doctorum & ducum exitus, adeoque ipsorum pietatem ab ipsis imitandam magis commendat, & contrà Paulus aliorum quorundam durum exitum Corinthiis proponit ad ipsorum peccata 1 Cor.10,5. cavenda: ita & vos ad quorundam vestrorum antecessorum & conformitatis maximorum patronum severitatem cavendam, vestrosq; animos erga fratres vestros magis molliendos, ne durum vobis videatur vos admoneri, qui fuerit conversationis ipsorum exitus. Talis profectò videtur, ut per eundem videatur Deus sanctam reverentiam vobis commendare, à simili eorum cavenda pertinacia, tum in conformitate propugnanda, tum in severitate contra fratres vestros exequenda. Hac quidem in re, Dei arcana non ingredior, sed ipsi Deo relinquo, nec proinde ipsorum personas jam condemnandas mihi arrogo. Optimè novi ipsos aliquando optimos, extraordinario quodam modo occubuisse: pro speciali tamen aliquo ipsorum peccato. Talis ille Vzza, qui manum suam 2 Sam.6,7. extendit ad arcam, &c. Talis propheta, qui ab alio 1 Reg.13,24

propheta seductus, contra Dei verbum edit, &c. Talis
2 Reg. 23, 29. Iosia arma sumens contra Pharhonem Nechonem, ab
2 Chro. 35, 20. ipso Pharhone ex Dei authoritate benignè admonitus, ne ita faceret. Tales Corinthii quidam morte
1 Cor. 11, 30 percussi propter inordinatam ipsorum cœnæ celebrationem. Vt horum omnium personæ non sunt condemnandæ, sed peccata propter eiusmodi obitum magis cavenda, ita vos idem cogitate de quibusdam vestris antecessoribus, ita obeuntibus & occumbentibus, ut vos ipsos obiisse & occubuisse novistis. Ne adulemini vobis. Neque abdita quærite: cùm manifesta habeatis. In huiusmodi rebus non leviter prætereunda Dei providentia. Bona est charitas, sed non negligenda prudentia: nec nos cæcos aut stultos debet facere. Vt ita certè occubuerunt quidam ex illis vestris antecessoribus, & maximis fratrum vestrorum persecutoribus, ut vos credo nolle ita occumbere. Sic & ne vos ita severi estote, ut erant illi. Sed ut tertius
2 Reg. 1, 13. ille dux missus ad Elijam apprehendendum videns priorum duorum ducum, & suorum quinquaginta ad idem negotium peragendum ab Ahazia missorum ruinam per ignem è cælis missum ex imprecatione Elijæ, ut (inquam) tertius ille dux priorum duorum ruinam videns, meliùs sibi sapuit, & mitiùs se erga prophetam gessit, ita & vos similiter sapite, & cum fratribus vestris clementiùs agite: idq; propter insolitum eorum exitum, quos nemo sana mente præditus negare potest acriores fuisse contra suos fratres quàm par fuerat. Ne ita ipsorum exitus secundis causis ascribite, ut manum Dei extraordinariam non observetis. Imò tantò magis argumentum hoc vos afficiat, quòd quorundam ex ipsis nomen ipsum cum ipsorum corporibus putruerit: ita scilicet ut ipsorum capellani, aliisq; ipsis viventi-

ventibus maximè obſequentes, ipſos jam mortuos, ne verbo quidem bono dignentur. *Iuſti memoria eſt* Prov. 10,7. *benedicta* : *Improborum autem nomen putreſcit*. Si ju- Pro. 12,10. ſtus curet jumenti ſui vitam, & vos ipſi veſtros equos velitis bene ſaginari, an nolitis vos fratribus veſtris benignitatem facere ? Si negatis eos eſſe bonos & doctos, veſtra ſanè conſcientia reclamabit, & ſtimulis ita corda veſtra punget, ut ferre non poteritis. Sed ſpero & precor meliora.

19. Quid hìc dicam de multorum Papiſticorum errorum, priùs mortuorum, & ex eccleſia noſtra ab ipſis Epiſcopis exploſorum, nova hodiè repullulatione ? Tales ſunt illius malè docti doctoris Carrier fœdiſſimi errores. Abiit quidem & obiit ipſe : ſed utinam cum ipſo ipſius quoque periiſſent errores, & in gehennam ipſam deſcendiſſent (unde primùm originem traxerunt) nunquam deinceps reverſuri. Peſſimus quidem ille tabellarius, tum illos ſuos errores audactèr nimis & procaciter antiquæ eccleſiæ Anglicanæ doctrinæ titulo inſignivit, tùm & noſtram contrariam doctrinam novam Gallicam dixit. Nos tamen ex Dei gratia novimus, & illam eſſe Romanam & diobolicam, & hanc noſtram cæleſtem & divinam. Quo jam ille abierit non ſtatuo. Si non priùs reſipiſcens ad inferos diſceſſerit, vel Pontificis fortaſſe Romani literas habuit ad Gehennę Pontificem pro ipſo mitiùs, & honorificentiùs accipiendo & clementiùs tractando : vel ipſe aut eum inde eruet, aut nunc tandem ad ipſum viſendum & ſua ſacietate conſolandũ deſcendit. Vtrum horum mavultis, credite. Vtinam nunc multi non eſſent iiſdem erroribus imbuti. Iiſdem ? Imò, & pluribus. Imbuti? Imò & polluti, contaminati, turpiſſimèque fœdati. Videte quoque & vos, ne ex veſtro

 ordine,

ordine, quidam adhuc ſint, qui priùs eoſdem errores coacti publicè in academiis revocare, & abnegare, ad eoſdem nunc tamen redierint, & eorum aliorumque pugiles ſint ſtrenui, imò & eorum propugnatores fortiores, vel potius pertinaciores quàm antè fuerant. Idem dicendum de tanto Papiſtarum ubiq; incremento, ut jam æquè audeant illius farinę homines cuiuſq; generis (viri & fæminæ) forenſium legatorum abominandas miſſas adire; nec non & ſe idem facere abſque ullo metu palam demonſtrare; atque noſtri ad noſtrorum miniſtrorum conciones accedunt. Heu, heu: Quis verè Chriſtianus ad hæc non tremit? Quid quòd aliqui idololatricas & deteſtandas quaſdam trium in Dietate perſonarum imagines regnante Sereniſſima Elizabetha in quibuſdam eccleſiis cathedralibus vel expunctas vel deletas, & ita obſcuratas, ut diſcerni non potuerint, nunc redintegraverint, & ad priorem ipſarum ſplendorem reſtauraverint. Quid quod aliqui (ipſi lignei) novas ligneas cruces in viis Regiis ſuperſtitioſiſſimè extruxerint? Quid quod alii pro aliis eiuſmodi ſuperſtitionis & Idololatriæ monumentis ſemper ferendis, tuendis, & ſuffulciendis, & reparandis acerrimè contenderint, quæ tamen injunctiones
Deut.7,5. antiquæ ex verbi ipſius authoritate mandant demoliri, & prorſus deſtrui? Quanta etiam moleſtia facta eſt quibuſdam privatis, qui ex majore fortaſſe zelo, quam prudentia hoc conati fuerint? Imò quid ſi ex veſtro quoque ordine quidam ſint, qui ſuas adhuc habent crucifixas, non in angulis, ſed palam in ædibus ſuis, ab omnibus conſpiciendas? Quæ dixi de his malis, dici etiam poſſunt de ſimili omnium peccatorum contra tum primam, tum ſecundam tabulam incremento. Vnde hæc quæſo omnia, niſi ex fratrum veſtrorum

ſuſpen-

ſuſpenſione, abdicatione, deprivatione, aliiſq; eiuſmodi moleſtiis plurimis? Et quid illa omnia ita poteſt cohibere, atque libera verbi prædicatio? An ex animo aliorum preces petere poſſunt, ut ſermo Domini currat, & glorificetur, qui ipſi alios prohibent ne prædicent, niſi ex ipſorum placito prædicent? 2 *Theſ.* 3, 1. *Coloſ.* 4, 3.

20. Si priores omnes fratrum veſtrorum injurias ipſis veſtris fratribus imputandas dixeritis, ut qui noluerint ſe vobis morigeros exhibere, an non à vobis quæri poteſt, qua authoritate ab ipſis tantam obedientiam, tantùm obſequium vendicetis, cùm Petrus ex Dei ipſius authoritate mandaverit, ne presbyteri ulli Domini Cleris dominarentur, hocque oppoſuerit priori ſuæ exhortationi graviſſimæ de grege Dei paſcendo? An non enim hac oppoſitione apertè docet hæc duo non poſſe convenire, niſi quis voluerit ad Papiſtarum tela ſe recipere, quibus tuentur Chriſti mandatum ipſi Petro factum de ovibus & agnis paſcendis, tam de regia quadam dominatione, quàm de inſtructione per verbum Dei intelligendum? Præterea, quod ad priorem veſtram criminis veſtri in fratres tranſlationem attinet, an non & Pontificij omnes, alijq; eccleſiæ hoſtes, idem pro ſeipſis, contra martyres dicere potuerunt? Sibi ſcilicet omnia quæ paſſi ſunt imputare potuiſſe, quòd noluerint ipſorum errores amplecti, & Chriſti veritatem abnegare? Ne putetis hìc ſatis eſſe dicere levia eſſe & parva, quæ vos veſtris fratribus imponitis, martyres autem pro ipſo fundamento occubuiſſe. Tam enim in parvis quam in magnis pro Dei verbo vitam quiſq; ſuam debet deponere. Hinc ſeptem illi fratres cum matre ſua maluerunt mori, quàm edere carnem porcinam, quam tamen Deus pro tempore tantùm prohibuerat, idque per 1 *Pet.* 5, 3. *Ioh.* 21, 15, *&c.* 2 *Maccab.* 7, 7. 1 *Sam.* 21, 6 *Hoſ.* 6, 6.

Matth. 12,4 per cæremonialem legem, quæ in summa necessitate cedere debuit charitati. Idem etiam constat tùm ex Mordecajo, tùm ex multis aliis exemplis. An ignoratis *reum esse omnium, qui offenderit in uno*, etiamsi Iacob. 2,10. totam legem (excepto tantùm illo uno) servaverit? An quoq; vestra levia agnoscitis, & tamen mavultis verbum Dei ad animarum plurimarum perniciem cohiberi, quàm illa vestra levia non observari? At ecclesia vestris illis fratribus non tantum habet opus, quantum ipsi ecclesia? Siccine verò? Quis ferre potest paucorum victum & vestitum, aliaq; præsentis tantùm vitæ subsidia majora dici, quàm plurimarum Philip. 2, 7. animarum æternam salutem, tanti à Christo factam, Act. 20, 28. ut pro ea tum sese exinaniverit, tum pretiosissimum 1 Pet. 1,19. suum sanguinem effuderit? An non etiam potest Deus aliunde illa omnia suppeditare? Neq; postremò dicatis, vestros illos fratres *talenta sua occultare*, Mat. 25,25. cum inutili illo servo: aut *lucernam suam subter mo-* Matth. 5,15. *diam ponere*. Nihil enim hac in re faciunt, nisi summo cum suo dolore, à vobis coacti. Plurimis sanè ex vobis & vestris hoc maximè convenit, qui aut nunquam, aut raro prędicant, sed vel domi latent, edentes (ut sæpe jam dixi) bibentes, ludentes, non tanquam cras, sed tanquam nunquam morituri: vel alia 1 Cor. 15,32. agunt, quæ ad ministerium non pertinent, & quæ Deus à ministerio disjunxit, ac proinde quæ homo cum ministerio non debet conjungere: siquidem eadem sit ratio eorum quæ Deus sejunxit, atq; eorum quæ Deus conjunxit. Matth. 19,5

21. Præterea, utcunq; ex æstu quodam, & divitiarum atque honorum plenitudine, pro tempore fratres vestros vobis hactenus commendatos persecuti estis, ita tamen ipsorum causam contra hierarchiam & con-

formitatem

formitatem à vobis approbatam arbitror, ut non audeatis ex animo, ipſorum ad vos converſionem à Deo petere, ſed in conſcientiis veſtris convictis ex verbo ſciatis, vos potiùs debere ad ipſos convertere, quàm ipſos ad vos. Imò tanta mea erga veſtri ordinis quoſdam eſt charitas, ut mihi perſuadeam, ipſos precari impedimenta omnia tolli, pacem ſuis fratribus fieri, *& ſermonis oſtium aperiri, ad Euangelium & Chriſti myſterium per ipſos ita patefaciendum, ſicùt ipſos oportet loqui*: ut manibus & viribus junctis communis hoſtis debilitetur, & tanquam Agag per verbi gladium dilanietur, donec ipſum Ieſus Chriſtus, virga ſua ferrea, & tanquam vas figuli prorſus diſſipaverit. Ita ergo de vobis perſuaſus tantò audaciùs veſtram gratiam peto, pro ſereniſſimi Regis gratia, ipſis impetranda (ſi ex vobis ipſis non poteritis) ad miniſterium verbi, ſine vel hierarchiæ approbatione, vel ceremoniarum obſervatione liberè peragendum. Quid enim? An infinitis contra Deum peccatis onerati audetis, tum pro vobis, tum pro ipſis gratiæ divinæ thronum adire, & Regem mortalem non audebitis inclamare, contra quem non omninò peccaſtis (ſaltem ut vobis ipſi videmini) imò & contra cuius majeſtatem nec ipſi veſtri fratres peccaverunt, niſi in iis in quibus tum contra Deum, tùm & contra ſeipſos etiam graviſſimè peccarent, ſi in conformitate ſeipſos veſtris placitis accommodarent? Sed à Regis forſitan ira metuitis. Quorſum verò? Hæc ſanè vel nulla erit, vel ſtatim ſedabitur. *Ab eo potiùs timete, qui tam animas veſtras quàm corpora poteſt perdere in gehenna.*

Ier. 15, 19.

Coloſ. 4, 3. Epheſ. 6, 19.

1 *Sam.* 15, 33.

1 *Sam.* 12, 25.

Matth. 10, 28.

22. At quid tandem à Regis ira vobis metuitis? Ne & vos Epiſcopalibus veſtris honoribus & divitiis abdicemini? An obliti eſtis quid Nehemia reſponderit

Epiſcopos debere hierarchicos honores deponere.

Nehe.6,11. rit Schemaiæ ſuadenti ut ſibi per fugam in domum Dei conſuleret? An vir (inquit) qualis ſum ego fugeret? Ita & ego vobis dico, An viri quales & quanti vos eſtis huiuſmodi timorem timerent? Quin potiùs ipſi vos ipſos abdicate, & tum Chriſto, tum Regi quæ ſua ſunt alacriter reddite. At durus fortaſſe iſte ſermo

Gen. 21,11. videbitur, qualis Saræ Abrahæ videbatur de Hagara

Matt.16,21 & Iſhmaele ejiciendis; & qualis Chriſti Petro de paſſione ſua: & qualis eiuſdem adoleſcenti illi diviti de

Mar. 10,21 ſuis omnibus vendendis, & dandis pauperibus, Chriſtoque ſequendo: qualis Pauli Demetrio: qualis deniq;

Act.19,24. ipſius rurſum Chriſti Iudæis de carne ſua manducanda,

Ioh.6,60. & ſanguine bibendo: Imò ita forſitan quibuſdam ex

Matt.10,37 vobis durus, ut dicturi ſint, *Quis ipſum poteſt audire?* Quis huiuſmodi conſulentem ferre? Itane verò? An

Luca 14,26 non omnia propter Chriſtum abjicienda? At hoc eſt petere principium. Imò, quid pro veſtra hierarchia dici poteſt, niſi quod Pontificii dixerint pro papatu? Ante Saraviam natum, tanquam ſeram quondam & intempeſtivè excluſam avem, omnes ſanè theologi liberè agnoverunt (etiam ipſi in hoc regno Epiſcopi) Epiſcopatus veſtros (quales jam ſunt) humanæ tantùm fuiſſe inventionis, non divinæ inſtitutionis. Do-

In præfat. de Pontif. Romano. ctiſſimus Whitakerus Epiſcopatum dicit ab hominibus quidem inventum in ſchiſmatis remedium, quod ipſo tamen morbo magis pernicioſum fuiſſe multi viri ſancti & prudentes judicaverunt, idque poſt miſera experientia demonſtratum eſſe. An nolitis vos inter hos viros ſanctos & prudentes numerari? Pontificiorum argumenta pro papatu, & veſtra pro hierarchia eadem eſſe, multi tùm ex veſtris fratribus, tùm alij

Parkerus de Polit. eccleſ. lib.2, c.13. theologi ſæpe & abundè demonſtrarunt. An non etiam Parkerus à vobis in exilium ire coactus, ubi etiam

obiit,

obiit, uberimè docet hierarchicos ad hierarchiam ſuam propugnandam fictitios multos patres producere? *cap.* 11. An non antè ſatis abundè reſponderat ad hierarchicorum ex Patribus teſtimonia? Sed ut ad propoſitum redeam de hierarchicis veſtris honoribus abdicandis, An non paria ſunt abdicare & repudiare? An non Regia poteſtas epiſcopali dignitate major? Atqui Gideon oblatum ſibi & filiis ſuis regium dominium in Iſraelitas, optimè reſpondit, *Non habebo ego dominium in vos, neque filius meus dominium habebit in vos, ſed in vos dominaturus eſt ipſe Iehovah.* *Iudic.* 8,23. O utinam ita reſpondiſſent antiqui Epiſcopi Chriſtianis imperatoribus, ex majore zelo quàm ſcientia, honores eos ipſis offerentibus, quibus vos adhuc fruimini: & vos ſoli ex omnibus omnium Eccleſiarum reformatarum miniſtris. Tum utique hierarchia nunquam ad tantum faſtigium ſeſe evexiſſet. Sed proh dolor. Epiſcoporum ambitio Antichriſtum peperit.

23. Præterea, an non manus & pes debet abſcindi, & oculus erui (imò manus dextra, & oculus dexter) *Matth.* 5, 29 & 18, 18. & *Marc.* 4, 43. ſi hæc membra faciant ut offendamus? An veſtri honores vobis aut chariores, aut magis neceſſarij, quàm illa veſtra membra? Vtinam etiam nimium omnibus non conſtarent veſtra ex illis honoribus multiplicia peccata contra Deum, contra homines. Moſes grandis factus *renuit dici filiæ Pharonis filius &c.* *Hebr.* 11, 24 veſtros honores non puto vos dicturos majores quàm dici filium filiæ Pharonis, & quàm theſauris Ægypti frui. An non & vos toti cum Moſe in præmij largitionem (futurum in cælis) intuemini? Abſit. Noſtis Moſis tum preces de ſe è vitæ libro delendo, *Exod.* 32, 32 tum Pauli votum de ſe faciendo anathemate pro bono Iſraelitarum. *Rom.* 9, 3. An hęc veſtris hierarchicis dignitatibus, divitiis, &

Ionæ 1,12. deliciis sunt minora? Quid quòd Iona etiam, qui à Dei facie fugerat, ad sedandam tempestatem, & nautarum (etiam ethnicorum) salutem, se sponte obtulerit in mare projiciendum? Magnam ex vestris hierarchicis in Ecclesia locis, esse & diu fuisse tempestatem, ne vos quidem potestis negare. An plus est vos ipsos locis illis abdicare, & à dulcissimo vestro somno in locis illis excitari, quàm Ionam in mare projici? Exempla quædam quorundam qui se Episcopatibus suis abdicarunt, habet ille Parkerus quem priùs nominavi. Primum est Gregorii Nazianzeni. Secundum est Hieracis, qui hoc nomine plurimùm ab Isidoro Pelusiota commendatur, quòd scilicet præ æqualitatis amore Episcopatum recusarit. Tertium proponit Iohannem Beverlaium qui Episcopatui Eboracensi renuntiavit. Hæc tantùm verbo nomino, ut quæ fusiùs à Parkero tractentur. Cum illis autem quid impedit, quo minus ego Marcum Antonium de Dominis nominem, qui apud vos nunc degens archiepiscopatum Spalatensem, cùm duorum regnorum primatu sibi exuit. Ne dixeritis hoc ab ipso religionis causa generaliter factũ, non quòd perticulariter archiepiscopatum illicitum arbitraretur. Quid? An non contrarium potiùs videtur, quòd in libro, de profectionis suæ ratione (ut pòst pleniùs dicam) polliceatur se in nono suo libro pòst edendo de ecclesię repub. demonstraturum quàm parca esse debeat ministrorum sustentatio? Quid enim sunt tanti honores, quid tanta potestas, quantam vos tum vobis vendicatis, tum exercetis sine magnis divitiis? An non divitiæ honorum & potestatis quasi pabulum? An non in sexti libri pòst emittendi argumento dicit Ecclesiæ ministros in temporalibus nihil posse? An non post librorum omnium edendorum titulos

De polit. eccles. li. 1, cap. 36.
Sozom. li. 7, cap. 7.
Socrat. lib. 5, cap. 7.

titulos ait, episcopos sub Romano potentatu, in temporalibus, ubi sunt opima beneficia, dignitate eminere seculari, magnates esse, conspicuos esse, principes esse, Episcopos autem non esse, nisi æquivocè? Vtrum hæc vobis non possint accommodari quales jam estis, vos ipsos judices appello. Si sus mutatus jam, & ad lutum&vomitum suum reversus fuerit,quid hoc contra veritatem ab ipso agnitam? Nihil sanè magis, quàm quòd Balaam optimè ex Dei mandato & instinctu de Israelitarum fœlicitate vaticinatus, pòst tamen quasi palinodiam canens Balakum docuerit offendiculum ponere coram Israelitis, per quod Israelitæ ederunt ex idolothytis, & scortati sunt. Tanta equidem veritatis vis, ut testimonium sæpe habeat ab ipsis impiis. Præterea, quid ni vobis commendem Reverendissimum vestrum Grindallum Cantuariensem archiepiscopum, tùm se passum ab officio suo suspendi, tùm ad illustrissimam Reginam Elizabetham scribentem, se de loco etiam cessurum, & redditurum quæcunque ex gratia eius Regia acceperat, si ita ipsi visum fuerit, potiùs quàm velit ex ipsius mandato Euangelij prædicationem cohibere, & prædicatorum numerum minuere? Sed quid opus est vel istis, vel ullis aliis eiusmodi exemplis? Quid alia omnia exempla ad exemplum ipsius Christi? Hic sanè *cùm in forma Dei esset, nec rapinam duxerit se cum ipso Deo parem esse, se tamen exinanivit, & forma servi accepta,& hominibus similis factus, se tandem summisit & subjecit ad ipsam mortem,mortem nimirum crucis.* Vt ergo Apostolus Philippenses hortatus est ab hoc exemplo, ita mihi liceat & vos hortari iisdem verbis, *Itaq; is sit affectus in vobis,qui fuit in Christo Iesu*: ad vos scilicet exinaniendos, & honores vestros hierarchicos deponendos, tùm propter Ecclesię bonum,

Num. 23, 18 & 24, 3.

Apoc. 2, 14.

Philip. 2, 6, 7, 8.

vers. 5.

num, tùm etiam propter majorem futuram vestram in cælis gloriam. Tantò magis ad hoc vos hortor, ut
Apo. 4,10. vos ex viginti quatuor seniorum numero vos esse demonstretis, qui ante insidentem throno procidebant, & ante thronum coronas suas abjiciebant, summas ipsius qui throno insidebat laudes agnoscentes, prędicantes, & decantantes. Neque hæc facite inviti & mœsto
2. Sam.3,15 animo, ut Phaltiel ab se abductam Michal flens dicitur secutus: sed alacriter, & lætè, tanquam gravi quodam onere levati, & liberati. Vt festinans de sycomoro
Luca 19, 6, 7, 8. descendit Zachæus, & Christum accepit gaudens; nec non & gaudium suum testatus est dimidium bonorum suorum dando pauperibus, & quod cuiquam per calumniam abstulerat, reddendo quadruplum, ita sanè meliùs est de hierarchię vestræ sycomoro vos festinanter, sponte, & alacriter descendere, & hæc quæ hortatus sum, gaudentes facere (cùm præsertim hanc sycomorum vestram non ascenderitis ad Christum videndum) quàm pòst volentes nolentes facere, à Regia scilicet majestate, spiritu divino afflata coactos.

24. Quod de hierarchicis vestris honoribus abjiciendis dixi, idem de cæremoniis quoque vestris, omnique conformitate intelligi velim: ut quæ tutiùs & sine ullo vestro detrimento unde fluxerint mittere poteritis: & quæ tamen ita strictè imponitis, urgetis, & non præstita severè punitis, ut pro ipsis non videamini omninò curare quid fiat de verbi prædicatione, aut populi ex verbo in fide ad salutem ædificatione. Deus quidem ait, *se velle misericordiam, non sacrificia*; & cogni-
Hose. 6,6. tionem Dei magis quàm holocausta (quæ tamen ipse mandaverat) vos autem videmini reclamare, vos velle cæremoniarum vestrarum observationem, non misericordiam, aut Dei cognitionem. Canones vestri jubent

jubent totam liturgiam ſine ulla omiſſione ſingulis diebus Dominicis & feſtis, tempore matutino & veſpertino legi, ut & cæremonias quoque omnes obſervari (nulla exceptione facta ullius miniſtri, vel ætatis vel infirmitatis) ecquid tale de verbi prædicatione mandant? Imò hanc jubent liturgiæ cedere. An miniſtrorum latera arbitramini eſſe ænea? In omnibus veſtris & Archidiaconorum veſtrorum articulis, quæritur primò de libro precum communium, de ſuperpelliceo decoro, de ſigno crucis, facto in omni baptiſmo, de geniculatione in cœnæ celebratione, & ad mentionem nominis Ieſu, poſt autem de verbi prędicatione, ſed admodum frigidè, utrùm ſemel prædicetur in menſe, vel quater in anno; idque vel per ipſum miniſtrum, vel per alium aliquem pro præſenti conductitium. Ita profecto vileſcit vera religio, & floreſcit veſtra conformitas, omnibus conclamantibus, Magna eſt conformitas Anglorum, ut aliquando clamabant Epheſij, *Magna Diana Epheſiorum*. Vt Doctiſſimus Mortonus refert, florente papiſmo, tres quidem fuiſſe in Eccleſia cathedrali Cantuarienſi celeberimas ſtatuas, unam Chriſto, ſecundam Mariæ, tertiam Thomæ Becketo dicatam; & quotannis oblationum & munerum cuiuſvis ſtatuæ ſupputatione facta, Thomæ oblationes fuiſſe 800 ll. aut 1000 ll. Mariæ 200 ll. Chriſti autem aliquando 6 ll. 13 ſs. 4 d. aliquandò 3 ll. 6 ſs. 8 d. aliquando verò in Regiſterio ſcriptum, Hoc anno nihil. Ita Thomæ ſemper pars maxima, Chriſti verò minima: aliquando nulla. Similiter ſi accuratū hodiè ſcrutamen fiat de veſtro gazophylacio pro ſubſcriptione & conformitate; & Chriſti pro Euangelii ſui prædicatione, longè plus proculdubio in illo

Act. 19, 28.

Proteſt. appellat. lib. 2, *cap.* 12, *ſect.* 12.

vestro gazophylacio inveniretis, quàm in hoc Christi. Multo nunc plures sunt in omnibus vestris observandis conformes ministri, quàm in uno Christi mandato præstando, de verbo tempestivè & intempestivè prædicando seduli: adeoque & plures ex populo vestris canonibus obsequentes, quàm verè in Christum credentes. An hoc parvum? An in tanta ecclesia, in tam Christiano regno ferendum? Præcipuos Papismi errores, & qui veræ religionis fundamento maximè repugnanr abolitos plurimi ex vobis gaudent: nec non & ita abolitos manere ex animo (verè credo) contendunt. Quid autem? An Antichristi capiti oppugnatis, & caudam tamen propugnatis, eamque vultis tenere, venerari, osculari? Gravissimi Patres, qui tanti hactenus Antichristi caudam fecistis, & ad eam adhuc retinendam ita contenditis, ut nullo modo possitis ullos ferre, qui vobis nolunt manus jungere, cavete, cavete (obsecro) ne tandem, & nimis citò, per hanc vestram pro cauda contentionem, tùm caput ipsum, tùm & totum corpus, huc denuò invehatis. Heu, Heu: Quid post sequetur? Annon tam de vobis, quàm de vestris fratribus, & omnibus hìc piis (quod ad hanc vitam attinet) actum prorsus erit? Multos quidem ex vobis spero constantes mansuros pro Euangelij substantia (ut vos loquimini) licet tantò majore cùm difficultate, quantò majore hactenus prosperitate floruerunt. Alios tamen vereor Antichristi huc reditum sperare, optare, & quantùm possunt omnibus viribus moliri: adeòq; pellem suam mutaturos, & palinodiam lætissimè cantaturos: vel potiùs papalem animum uberiùs eructaturos: nec non & papale suum virus, abundantiùs effusuros, non contra quosdam, sed contra omnes veritatis amicos. Tantò autem magis

væ

væ ipſis, ut qui præ animi dolore clamarint: & ex ſpiritus amaritudine eiularint, Dei ſervis pro hilaritate animi canentibus, & ridentibus. Quid amplius? Meritò profectò ex juſtiſſimo Dei judicio metuendum id nobis, (niſi Deus avertat) quod Iudæis minatus eſt Chriſtus, ultimam huius regni conditionem deteriorem fore priore. Atqui corrupta Chriſti doctrina, ſalva tamen fortaſſe manſit ipſius diſciplina; ipſamque putatis eſſe, quàm vos adhuc habetis & exercetis. Quis credit? An non Iericuntis mœnia ceciderunt & corruerunt priuſquàm ipſa civitas capta erat & expugnata? Ita etiam & Eccleſiæ mœnibus priùs dirutis, & Chriſti diſciplina dejecta, ſecuta eſt ab ipſa doctrina apoſtaſia illa & defectio, quam ſcriptura prædixit.

Iſa. 65, 14.

Matt. 12, 45

25. Vt paulò adhuc longiùs pergam, oculos (obſecro) veſtros honoribus, divitiis, & rerum omnium affluentia plus ſatis hactenus clauſos aperite, & ſine omni contra vos ipſos fraude intuemini quæ adhuc videmini non videre: aut ſaltem liceat mihi quædam à vobis quærere de veſtra cum Papa & papalibus epiſcopis ſimilitudine & conformitate. An non ergo eodem modo, & cum iiſdem ferè cęremoniis creamini & ordinamini? An non iiſdem veſtibus induimini? An non eoſdem aut ſimiles habetis miniſtros? An non eadem inſignia coram vobis feruntur? Vt de majoribus adhuc vobiſcum expoſtulem, an non de omnibus in religione quæſtionibus judicare & determinare vobis vendicatis? An ulli licet improbare quod vos approbatis? An non qui contra quicquam à vobis traditum auſit mutire, eum facitis vocem ad placitum? Imò, an non errorem ullum vel maximum à quovis ex veſtro clero publicè prædicatum, per Canones veſtros prohibetis ab ullo publicè confutari, niſi diocœ-

Quæſtiones quædam de Hierarchicorum cum Pontificiis conformitate.

Canon. 53.

ſcos illius epiſcopo ubicunq; habitante priùs conſulto? Heu, quot interim animæ eodem infici, adeoq; perire poſſunt? Præter etiam ſeveritatem illam priùs dictam tum veſtram, tum ſervorum veſtrorum, & curialium, & domeſticorum, an licet vel miniſtro ulli cum populo ſuo publicum jejunium celebrare, vel ullis Chriſtianis aliis, ulla de cauſa (etiam privata) privatim convenire, & cum jejunio preces privatas ſimul facere, ſine veſtra authoritate, & vobis vel mandantibus, vel annuentibus? Si hæc vos non teſtentur aliorum fidei dominari, neſcio quid ſit dominari. Durior profectò iſta videtur ſervitus, quàm ipſorum ſervorum ſecundum carnem. Nonvult enim Apoſtolus eiuſmodi ſervos eiuſmodi dominis ſervire, niſi cum timore Dei, faciendo Dei voluntatem. An vos nihil miniſtris, cæteroq; Dei populo mandatis, niſi quod vult ipſe Deus? & de quo in verbo ſuo ſcripto voluntatem ſuam revelavit? Hoc probate. Quis tum refragabitur? Quis mandatis veſtris de iis quæ mandavit ipſe Deus non obtemperabit? Quid quòd nemini etiam liceat (ne Regiæ quidem majeſtati (ut audio) carnes in quadrageſima, aliiſq; temporibus interdictis edere, niſi à vobis facta facultate. An non hoc papale? An non qui apud veſtra conſiſtoria vel leviſſimè monitus, die & loco dictis non comparuerit, contra ipſum (etiam inauditum) excommunicationis gladium ſtatim nudatis; idque aliquando ſecundo, tertio, & quarto prioris excomunicationis ſententia non priùs liberatum? Si priùs excommunicatus extra Eccleſiam ejectus fuérit, unde ipſum ſecundò ejicitis, & quò tandem abigitis non priùs in eccleſiam receptum? Si priùs Satanæ fuerit traditus, cui demum ipſum ſecundò, tertiò, quartò devovetis? Idem dicendum videtur de mortuorum

Coloſ.3,22. Epheſ.6,6.

rum apud vos ab excommunicationis ſententia abſolutione. Vt Papa ſe ſupra omnia concilia eſſe jactat, an non & vos idem de veſtra poteſtate dicitis ſupra nationales omnes hìc ſynodos? ut nullis vult legibus Papa ſubjici, an non ita & vos (contra præſertim veſtros fratres) quicquid vultis facitis contra antiqua huius regni jura? An non proinde vobis accommodare poteſtis illud, Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas? Imò & hoc unum mihi liceat à vobis præterea quærere, Num ſcilicet ex vobis quidam, quibuſdam ex veſtris fratribus ex conſcientia ſeſe non conformantibus dixerint Paulum ipſum, ſi adeſſet, hìc non concionaturum ſine veſtra conformitate? Quid? An non Paulum immediatè à Chriſto in Majeſtatis & gloriæ ſuæ cœleſti ſolio ad apoſtolatum vocatum, & in apoſtolatu ſuo, vel donis, vel authoritate nemini Apoſtolorum inferiorem; ad ipſum quoque cœlum tertium raptum, An hunc (inquam) non pateremini concionari, niſi ſeſe vobis ſubjiceret, & vos ipſi poteſtatem faceretis? Quàm hoc arroganter dictum? Quàm imprudenter? Quid plus ipſe Papa poteſt dicere? Hoc profectò unum veſtram poteſtatem à Paulo non eſſe prodit. A quo ergo? An cæteri Apoſtoli ſummis ſacerdotibus invitis prædicabant, & Paulum putatis vobis ipſi imponentibus ſilentium obtemperaturum? Quid hoc ferè aliud, quam dicere, vos Chriſtum ipſum non paſſuros prædicare, ſine ſimili conformitate? Nunc quidem non ferendo Pauli doctrinam à fratribus veſtris (contra vos præſertim) prędicari, idem ferè eſt ac ſi Paulo, imò & ipſo Chriſto os occluderetis. An non enim Paulus ſervus Dei, & Apoſtolus Ieſu Chriſti, nec ab hominibus, nec per homines, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum patrem? Si pręterea Paulus ipſe

Act.9,3,&c

2Cor.11,5. & 12,4.

Act.4,19.

Lucæ 10,16

Galat.1,1.

adesset, & à vobis prohiberetur, quàm citò hunc fastum retunderet? Quàm facilè vel morte subita,
Act.5,5. ut Petrus, Ananiam & Saphiram, vel cæcitate ut ipse
Act.13, 8. Elymam vos percuteret? Vt pergam, An non ægrè etiam fertis ullam vobis, pro ulla juris transgressione multam aliquando imponi? An non & idem constat ex vehementi vestra pro juramento quod dicitis ex officio contentione, nec non ex vestra oppositione (quantum poteritis) ad Regias prohibitiones? An non quoque Regiam majestatem, ut & nobilitatem conamini ita à vestris partibus facere, ut (si id fieri posset) ipsi huius Regni Iudices jura non audeant exequi? In Parliamentis, si quis ex Nobilibus, vel aliis huius Regni proceribus, ad vos aut vestros coercendos quicquam moverit, quantus ex parte vestra statim clamor, quantus sudor, quanta oppositio? Vt Papa omnia sua diplomata in suo tantùm nomine promulgat, nullo vel Imperatoris, vel ullius Principis nomine dignatus uti; an non & vos idem facitis in vestris emittendis citationibus, sententiis ferendis &c? tum contra Regni huius jura, tum contra Iudicum aliorum omnium morem, qui Regis semper nomen suis scriptis præfigunt, tum denique ad proprium vestrum periculum, quandocunque Regiæ majestati visum fuerit hoc in quæstionem vocare? An non ut Papa suo clero matrimonio semper interdicit, ita & vos pro magna anni parte omni hominum generi interdicitis eodem? Quo alio (quæso) jure hoc facitis quàm papali? An non & idem possem quærere de dierum quorundam festorum solenniore vestra observatione, quàm ipsius diei Dominici? An non & hoc patet ex vespertinis antè jejuniis, ex pretiosioribus vestris vestibus, ex plurium lectione, ex aliis pluribus à vobis cæremoniis observatis,

ſervatis, quàm in diebus Dominicis? Quid aliud etiam poteſtis dicere pro fracta veſtra muſica, pro muſicorum inſtrumentorum varietate in cathedralibus inprimis eccleſiis, quorum ſub ipſa lege nullus erat in ſynagogis ullis uſus, ſed tantùm in templo Hieroſolymitano, ubi & ſacrificia offerebantur, & reliquæ legales cæremoniæ obſervabantur? Quid (inquam) pro his poteſtis dicere aliud, quàm quod pro iiſdem dicunt Papiſtæ omnes; Pro vaga etiam & ambulatoria (ut ita dicam) in iiſdem eccleſiis precum, capitum, litaniæ, decalogi, ſcripturę illius quam dicitis epiſtolam, & quam etiam vocatis Euangeliū &c. pro vaga (inquam) hac & peripatetica horum omnium lectione a variis perſonis, variis in locis, quid poteſt dici, quam quòd hic mos fuerit in eccleſiis papalibus? Hoc certum, eccleſias alias omnes reformatas illa omnia abegiſſe. Idem quęrere poſſem de genu flectendo ad nomen Ieſu, magno cum ſtrepitu, & ad impedimentum tum legentis, aut concionantis, tum auditorum: nulla præſertim à vobis mandata eiuſmodi reverentia, ad nomen Dei, vel Servatoris &c. An non & idem poſſem quærere de baptiſmi adminiſtratione in templorum quaſi veſtibulo, ac ſi ipſe locus aliud eſſet ſacramentum: & ubi nemo audit quid legitur, niſi pauci ibidem adſtantes? Quantò meliùs videtur adminiſtrandus juxta locum, ex quo verbum ipſum legitur & prędicatur, ut omnes meliores eſſent teſtes, & tum meliùs audirent, tum meliùs intelligerent quid velit ipſum baptiſmi ſacramentum? Hæc & alia eiuſmodi plurima videntur potiùs ridicula, & papalem ſtultitiam magis olere, quàm aut Euangelij ſimplicitati convenire, aut ad ullam populi Dei ædificationem facere. Ne dixeritis vos illa facere ad Papiſtas vobis lucrandos.

Quos enim his modis lucrati estis? Quin potiùs ipsos in superstitione sua magis contra nostram religionem fovetis & induratis, ut qui proinde putent nostram mutilam atque mancam esse, nec posse stare sine ipsorum cæremoniis. An non etiam tantò magis ipsorum numerus crevit quantò majore cum severitate priora illa observanda sunt imposita? De aliis etiam reformatis ecclesiis diligenti scrutamine facto, vix puto tot in omnibus vos inventuros Papistas, quot sunt in his Angliæ & Hiberniæ regnis. Ad hæc, an non ut omnia dicuntur vænalia Romæ, ita & dici possunt apud multos Hierarchicos & ipsorum curias? Deniq;, an non eiusmodi hierarchici suam causam pro honoribus, divitiis, & seipsis propugnant, ut ipsorum contra fratres pro Christo, & Christi gloria, etiam contra seipsos, hierarchiam oppugnant?

Quæ causam hierarchicam magis suspectam reddant

26. Accedo nunc ad alia, quæ causam vestram hierarchicam apud viros omnes bonos magis suspectam meritò possint facere. In his proponendis, eadem mihi (quæso) liceat, uti παῤῥησίᾳ & sermonis libertate, qua usus sum in prioribus. Quid enim ulli unquam profuerunt adulatoria verba? Hìc primum occurrit, quòd ipsi Pontificij nunquam cautiores fuerunt (etiam ubi papismus maximè viguit & floruit) de imperito populo à scripturarum & Protestantium librorum lectione arcendo, ne scilicet ex lectione ab ipsis ad nos deficerent, quam vos estis oculati & cauti, ne quis fratrum illorum vestrorum libros contra vestram hierarchiam & conformitatem legat, atq; ita a vobis ad illos deficiat. Hinc vester, & ministrorum vestrorum labor & sudor, tum in bibliopolarum officinis, tùm in aliorum ædibus, tum in maritimis omnibus oppidis pervestigandis ad eiusmodi libros inveniendos. At

Psal. 120, 3.

cum

cum inventis quid agitis? Igni ſcilicet tanquam hæreticos ſæpe traditis concremandos,ad majorem alijs terrorem incutiendum. Reverendiſſimus ergo ille Marcus Antonius in illo ſuo libello de profectionis ſuæ conſilio teſtatur, inter alia quæ papalem religionem ſibi primùm ſuſpectam tanquam adulterinam reddiderunt, ipſumq; ad ſeceſſionem à Romana eccleſia faciendam moverunt, hoc unum refert, quòd in Ieſuitarum collegio vivens,illius ſocietatis præfectos obſervaret,omni cum authoritate tùm juvenibus tùm aliis interdicere proteſtantium librorū omnium omni lectione. Quid ni ergo & alii ſimilem veſtram animadvertentes curam de omnibus à librorum omnium contra hierarchiam & conformitatem veſtram lectione cohibendis, veſtram ſimiliter cauſam & contentionem pro hierarchia & conformitate magis ſuſpicentur? Si bona ſit veſtra cauſa, quid tāta cautione opus eſt de libris cōtrariis ab aliorum(etiam doctorū,&prudentiū)lectione cohibendis? An veritas lucē fugit,aut angulos quærit? πᾶς ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ Ioh.3,20.
φῶς &c. Majorem profectò facitis libertatem excudendi,vendendi, emendi, legendi libros tùm papiſticos, tū maximè profanos, obſcænos, omniq; turpitudinis & impietatis genere refertos, quā ullos vel leviſſimè veſtram hierarchiam & conformitatē reprehendentes. A papiſtis plebē à ſcripturis cohibentibus, à ficto ab ipſis ex lectione periculo,quęrūt noſtri theologi,an plus ſit periculi ex lectione ſcripturarū,quā ex lectioneOvidij, Plauti,Mantuani,&aliorū obſcęnorū poetarū,tū à pueris,tū ab adultis?An nō &idē fratres veſtri poſſunt quęrere de ipſorū & aliorū theologorū libris legendis? An nō ex canone veſtro novo cōtra omnē appellationē,nec nō & ex veſtra oppoſitione adRegias prohibitiones &c. Can. 98.
 prodi-

proditis vos non audere causam vestram probari secundùm Regni huius jura? An non & idem manifestum ex plurimorum vestrorum inimicitiis, contra æquissimos Iudices, qui Regias illas prohibitiones ijs concesserint, quos illi vestri oppresserunt? Quod ad juramentum illud attinet, ædilibus aliisq; ipsorum collegis impositum, hoc (tanquam extra elementum meum) aliis relinquo judicandum, utrum legitimum sit nec ne. His & aliis vestris modis, & si aliquos vobis lucrati fueritis, qui vel à vobis sibi metuunt, vel sine vestra gratia unde vivant nesciunt, alios tamen viros prudentes fecistis, & vestram, & fratrum vestrorum causam penitiùs introspicere, & hanc quidem magis probare, illam verò magis detestari. Paucos lucrati, plures à partibus vestris abegistis. Imò certè vobis invitis, & vel maximè reluctantibus crescit hierarchiæ vestræ adversariorum numerus. Quod de Israele dicit Moses, id videte, ne de fratrum vestrorum numero dicatur, *Prout affligebant eum, ita augescebat, & ita erumpebat in multitudinem.* Ita semper cum populo Dei erat, & ita semper fore non dubitandum. Vt durum erat Sauli, ita est & aliis omnibus contra stimulos calcitrare. Sanguis semper martyrum semen est ecclesię. Doctissimus ille Parkerus totus primùm vester hierarchicorum videns contra alios hierarchiam impugnantes severitatem, aliasq; ipsorum technas observans, ad ipsorum monarchicam potestatem fulciendam, & à lapsu & ruina tuendam, penitiùsq; rem totam intuitus, quantum sit mutatus, vos ipsi nostis. Tantùm scilicet ut crucis vestræ signū crucifixerit, & quasi Iaelis paxillo cum malleo crucis illius templis infixo, ita jugulaverit, ut præter nudam vestram authoritatem & violentiam (Papistarum telum maximum) nihil aliud habeatis

Exod. 1, 12.

Act. 9, 5.

Indic. 5, 21.

tis

tis quo ipſum propugnetis. An non & idem dici poteſt de hierarchica veſtra poteſtate ab ipſo ſimiliter labefactata, & demolita?

27. An non & à vobis quæri poteſt, qua æquitate vos aut veſtri (quidam ſcilicet qui epiſcopatum ſitiunt) ſubſcriptionem veſtrã in academias invexeritis, eamq; omnibus etiam pueris gradum ullum ſuſcepturis impoſueritis? An non multi in artibus baccalaureatum petentes miniſterium ſibi nunquam proponunt? An non omnes eiuſmodi libros quibus ſubſcribendum eſt prorſus neſciunt? Quid etiam juris civilis, aut medicinæ baccalaureatum vel doctoratum ſumentibus cum ſubſcriptione? At hoc veſtrum fortaſſis non eſt opus. *Facilè ſanè ex parte credo.* Non enim mihi dubium eſt, 1 Cor. 11, 18
quin multi ex vobis ſint prudentiores. Quibuſdam tantùm imputandum, quorum malitia major quàm eruditio. Fortaſſe etiam ex ipſis collegiorum præfectis aliquis hoc molitus effecit. Sunt enim quidam ita ambitioſi, ut in nihil ita pruriant ipſorum digiti atque in epiſcopales honores, & ut dominorum titulo inſigniantur. O utinam tantus eſſet illorum zelus pro unico omnium Domino Ieſu Chriſto. Sed proh dolor, magis placet pictarum chartarum, & alearum luſus, nec non & tobacconis fumus, quàm ulla ſinceritas, aut vera cura de bonis literis promovendis. Quid autem? An non propter hanc ſubſcriptionem, multi pij parentes, ad academias ſuos filios non audent mittere? An non & multos tum juvenes religioſos, tum viros etiam doctos, magnoq; acumine præditos, adeoq; magnam eccleſiæ ſpem facientes, hæc ſubſcriptio ab academiis arcet, & aliô ſua ſtudia convertere facit? O durum ergo, o crudele, o immane facinus. An non ita ad ſubſcriptionem coactus, in ſpiritus ſui amaritudine

apud

Psal. 55, 11. apud Deum ipsum potest conqueri. Quæ ignoro repetunt à me? An huiusmodi subscriptio ex ignoran-
Hebr. 11,6. tia, ex fide esse potest? An ergo placere potest Deo?
Rom. 14,23. Imo an non peccatum? Quod dico de hac vestra subscriptione in academias invecta, idem intelligi velim
Can. 27. de subscriptione vestra omnibus Ludimagistris quoq; imposita: etiam Anglicè tantùm legere, aut scribendi tantùm artem docentibus, nunquam autem in ministerium ingressum ullum somniantibus. & quid eiusmodi Ludimagistris cum ministerio? Quid ergo? Si hoc vestrum non sit opus (ut spero non esse plurimorum) penes vos tamen puto huius rei esse reformationem: vel scilicet ex vestra authoritate: vel ex humilima ad Regiam majestatem hac in re petitione, ne unus Davus perturbet omnia, neve ullus unus Diotrephes primatum ambiens, sed non habens, primatum tamen in omnes exerceat. Præter priora omnia, tanta vestrorum servorum tum curialium (ut dixi) tum domesticorum est erga vestros fratres austeritas, ut tantò minùs audeant vel publicè vel privatè comparere, vel si compareant, tristes & mæsti discedant. Maximè verò nuntij vestri vel ad ipsos vestros fratres coram vobis sistendos, vel ad ædes ipsorum pervestigandas missi, longè duriùs cum iis quam cum ipsis papistis agunt: ut qui scilicet tantis muneribus non possint vel ipsorum oculos excæcare, vel ipsorum manus linire, quanta largiri solent papistæ. Iam etsi his modis quidam tales quales erat Demas hoc seculum amplexi fratres suos reliquerunt, non tamen fratrum suorum
Matt. 11,19 causam quicquam læserunt. ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Vt sapientia quæ est superna pura est,
Iacob. 3,17. pacifica, & plena misericordiæ, & veritas comites habet clementiam & mansuetudinē, ita errorem semper

comi-

comitatur ſuperbia, faſtus, crudelitas, atrocitas, imma-nitas, & quædam feritas: ut illa dicuntur fructus ſpiri- Galat.5,19.
tus, ita hæc etiam inter opera carnis numerantur. Vt
ſervum Domini non oportet pugnare ſed eſſe placi- 2 Tim. 2,24
dum erga omnes &c. (an non & multò magis erga 25.
fratres) ita optimè noſtis, quomodo ſervus malus de- Matth. 24,
ſcribatur,& quid ipſi ſit pòſt expectandum. Tantò au- 49.
daciùs hæc dico, ut tantò minùs putetis Dominum & Luca 12,45
veſtrum & fratrum veſtrorum adventum ſuum tarda- 46.
turum. Adhuc quidem tantillum (& tantillum tan- Hebr.10,37
tùm) tardat, *ſed qui venturus eſt veniet, neque tardabit*,
(ſcilicet ultra tempus ſibi propoſitum) etſi pro tem-pore ſurdum agat, cavete tamen (obſecro) ne cum im-piis illis in Pſalmo cogitetis,ſimilem eſſe malis illis ſer- Pſal.50,21.
vis antè dictis. Imò cum venerit ipſos arguet,& ordine omnia objiciet oculis ipſorum. Sed ex animo precor vos inter illos non inveniri. Vos fortaſſe veſtrum apud alios contemptum fratribus illis veſtris imputatis, ſed Malac. 2,7,
cogitate potiùs quorſum Malachię temporum ſacerdo- 8, 9.
tibus minetur Deus ſe ipſos redditurum contemptos,& abjectos toti populo &c. An non tanti nunc facit Deus fratrum veſtrorum lachrymas, quibus altare ſuum ſępe Malac.2,13.
operiunt, quanti aliquando fecit juſtarum uxorum la-chrymas effuſas, quòd ipſarum viri ipſas dereliquerant, & ſecundas ſibi acceperant?

28. Præter illa omnia hactenus dicta, ut Pontificij ſuum habuerunt Indicem expurgatorium,longè effica-ciorem ad Patrum ſcripta non errore: ſed veritate pur-ganda,quàm eſt ignis ipſorum fictitiùs (quem Purgato-rium dicunt)ad mortuos ullos vel puniendos vel macu-lis purgandos:ut iſti(inquam)ſuum habuerunt eiuſmo-di Indicem expurgatorium, ita an non vos ipſos imi-tati veſtrum quendam habuiſtis ſimilem Indicem, ad

delenda, mutanda, corrumpenda quædam in aliorum ſcriptis, quæ ullo modo contra veſtram hierarchiam aut conformitatem fecerunt? Vt mittam doctiſſimi Whitakeri opera longè aliter poſt ipſius obitum typis mandata & excuſa quàm priùs ab ipſo viva voce auditoribus tradita, & ab ipſis in auditu ſcripta fuerunt, ad alia accedo. Hìc autem primò occurrit parva illa differentia (aliqua tamen) inter Marci Antonij de Dominis in libello de profectionis ſuæ conſilio quod ſecum attulit priùs excuſum, & illud quod pòſt hìc in Anglia typis eſt mandatum. Hic ipſius liber de conſilii ſui ratione ſummam continet decem illorum quos priùs de Republica eccleſiaſtica ſcripſerat, & poſt excudendos promittit, & qui jam excuduntur, (aut ſaltem ex parte) Hic (inquam) liber illorum decem ſummam breviter complectitur. In noni autem libri ſumma ita primùm ſcripſit Marcus Antonius, & ſecum excuſum duxit, in nono (inquit) *ad temporalia bona Eccleſiæ accedo, pluribuſq; doceo, quam parca eſſe debeat miniſtrorum ſuſtentatio, &c.* In ſecundo verò in Anglia hìc excuſo, ita eſt, In nono *ad temporalia bona eccleſiæ accedo, pluribuſq; doceo qualis eſſe debeat miniſtrorum ſuſtentatio, &c.* Non equidem magna eſt hæc differentia, illud (quàm parca) in hoc (qualis) mutari: aliqua tamen eſt & non prorſus negligenda: ut quæ doceat hierarchicos noſtros magnis divitiis & beneficiis ita indulgere & inhiare, ut ne parci quidem nomen ferre poſſint. Agnoſco quidem mutationem illam aliquo modo poſſe excuſari, propter nimiam multorum hodiè erga miniſtros parſimoniam, qui omne parum nimium eſſe putant: ex hac tamen parva mutatione ſagaces profectò homines reliqua ipſius opera uberiùs excuſa, vel excudenda tantò magis poſſunt ſuſpicari, & (quantùm poterunt) diligen-

diligentiùs examinare. Sed his levioribus missis, ad majora & crassiora venio. Ne tamen nimis vobis sim molestus, doctissimi tantùm Bucani institutiones theologicas ex Latinis factas Anglicas, & excusas Londini per Georgium & Leonellum Snoudon, anno 1606, anno scilicet proximo postquam excusæ essent Latinè Genevæ opera Isaiæ le Preux; has inquam) institutiones mihi tantùm examinandas sumam, vel alia examinanda aliis relinquens, vel ex his aliorum vobis aliisq; gustum præbens. Neq; tamen in istis singula possum ad amussim excutere, sed quædam tantùm excerpam, ex quibus satis manifestum erit quanta hierarchicorum illius temporis fraus fuerit, præsertim cùm ea quæ excerpturus sum non talia fuerunt ex illius vitio qui Latina in Anglica vertebat, sed ex hierarchicorum tantùm authoritate, qui omnia ita fieri volebant. Sed ut

Bucani institutiones.

rem ipsam attingam, Primùm totus Alphabeticus Index (non locorum communium, sed rerum, nominum verborum &c.) omittitur, ita ut lector non facile possit 1.
invenire quæ desiderat. Sic & Index omnium scripturę 2.
locorum, quæ in eodem opere explicantur. Terttio, 3.
particularibus quæstionibus cuiusque loci communis, nulla pręfigitur numeri figura, ut in Latino authographo, unde difficile est discernere, utrùm tot sint Anglicè quęstiones quot sunt Latinè. Quarto, quorundam 4.
ordo invertitur. Quinto, multa omittuntur Anglicè, 5.
quæ scripta sunt Latinè, tum integræ scilicet quęstiones cum suis responsionibus: tum quarundam & quæstionum & responsionum partes. Sexto, Quædam tùm 6.
quęstiones tùm responsiones multùm mutantur. Septimo, quarundam quęstionum affirmativa responsa 7.
Latinè, fiunt negativa Anglicè. De tribus primis non est verbis pluribus opus, ut quæ ex Latini & Anglici

libri tantùm conspectu satis sint perspicua. Quod ad
1. quartam differentiam attinet, in loco primo de Deo
2. quæstio 20 Latinè, fit 24 Anglicè : & quæstio 24 La-
3. tinè, fit 23 Anglicè : & quæstio 21 Latinè, fit 20 An-
4. glicè : & quæstio 22 Latine, fit 21 Anglicè : & 23 La-
tinè, fit 22 Anglicè. Quod ad quintam differentiam
5. attinet de omissione, in loco quarto de scriptura quę-
stio 5 prorsus omittitur, quando cœperit scripturæ ca-
6. 7. non. Sic & responsis ad septimam & octavam quæstio-
nes eiusdem loci de libris Apocryphis multa desunt :
sic & responso ad nonam quæstionem eiusdem loci de
8. partibus novi testamenti : sic & responso ad eiusdem
9. loci quæstionem 22 unde sumenda sit scripturæ inter-
pretatio. Sed in his non hærebo, ut quæ non sint in
ulla inter vos & fratres vestros controversia, vel magni
10. momenti. In loco 12, de conjugio quæst. 13. An
quis mortua uxore, aut legitimè exclusa, aliam ducere
possit, hęc secunda disjunctiva quæstionis pars (aut le-
gitimè exclusa) Anglice prorsus est exclusa. Quorsum
hoc, nisi ad canonem vestrum confirmandum contra
innocentis partis in divortio pro adulterio matrimo-
nium, dum vixerit pars, quæ peccavit ? In eodem lo-
11. co quæst. 14 magni momenti, cum toto responso de
parte adultera morte punienda prorsus omittitur.
12. Quæstionis 15 eiusmodi loci, in responso Anglico, to-
ta pars prior & amplior, scilicet de Pontificiorum erro-
re in adulterio non puniendo morte, supprimitur. Ea-
13. dem est mutilatio Anglice responsi ad quæstionem de-
cimam. Quot modis dissolvitur ratum conjugium in
loco 13 de divortiis. Idem dicendum de responsis ad
14. 15. quæst. 12, & 13 eiusdem loci ; licet quæ hic omittun-
tur non tanti sint momenti, quanti sunt alia omissa.
16. 17. Quęstiones etiam 15 & 16 eiusdem loci cum suis re-

sponsis

ſponſis prorſus exterminantur. Quàm mancum quoq;
& decurtatum eſt reſponſum ad quæſtionem ultimam 18.
eiuſdem loci? In loco 42 de miniſterio: quæſt. 22 de 19.
gradu doctoratus in academiis cum ſuo reſponſo omit-
titur, Quæſtionis etiam 25 de miniſtrorum ordinibus 20.
reſponſo multa deſunt Anglice, quæ ſunt Latine. In
eodem loco quæſtiones 53, & 54 cum ſuis reſponſis 21. 22.
expunguntur. Iure ne ſcilicet Patres inter hæreſes nu-
merarint opinionem Arij, qui inter Epiſcopum &
presbyterum nullum diſcrimen eſſe dixit. & anne cùm
Paulus inquit 1 Timotheo 5, 1. πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπι-
πλέξῃς, *ſeniorem ne increpato*: & verſ. 19. *Adverſus
presbyterum ne admiſeris accuſationem,&c.* ſignificat ali-
quam eſſe Epiſcopi in presbyteros authoritatem, &
hos illi ut Iudici, ac ſuperiori obnoxios? Quorſum
hoc? Quia iſtæ quæſtiones & reſponſa ad eaſdem, hie-
rarchicam authoritatem vel maxime vulnerant. In lo-
co 47 de baptiſmo quæſtio 17, de baptiſmo ab Atha- 23.
naſio dùm puer eſſet per ludum adminiſtrato, cum re-
ſponſo Anglice tacetur. In eodem loco quæſt. 19,
Vtrum in baptiſmo aliis liceat uti ſignis præter aquam, 24.
& inter cætera quæſtione facta de ſignaculo crucis, An-
glice deeſt huius ſignaculi crucis mentio. Idem pòſt
eſt ſilentium de eodem crucis ſignaculo in reſponſo ad 25.
quæſtionem 60. Eidem quoque reſponſo deſunt quæ-
dam Anglice quæ ſunt Latine. Vt quæſtiones omnes 26.
de cœna omittam, ut in quibus tum pauca, tum levio-
ra obſervavi omitti, in hoc loco 49 de magiſtratu, &
reſponſo ad quęſtionem 74 non poſſum comprehen- 27.
dere cur omittantur duę ſcripturę, Proverb. 24, 21.
& Matth. 26, 52. In reſponſo ad quęſtionem 75, 28.
Rectene Naboth 1 Reg. 21,3. regi Ahab vineam peten-
ti & pretium offerenti negaverit, quid oleat maximę

 reſpon-

reſponſi partis omiſſo, meliùs poteſt prudens lector
ſubolere, (qui adulari neſcit) quàm mihi expedit dice-
re. Plura omiſſa poſſem hìc interponere, niſi hæc ſuf-
29. ficerent. Pro ſexta differentia, de mutatis tum quæ-
ſtionibus tum reſponſis cogitate quæſo in loco 42 de
miniſterio reſponſum Anglicum ad quæſt. 21 de pa-
ſtorum & doctorum differentia paululum mutari à
30. Latino. Ita in loco 47, de baptiſmo pro quæſt. 47 La-
tinè, Eſtne Sponſorum quos ſuſceptores, & compatres,
& patrinos & matrinas vocant uſus neceſſarius, Angli-
cè tantùm quæritur, an liceat patrinis & matrinis uti?
Deinde pro reſponſo, Nec neceſſarius eſt, quia expreſſè
31. non præſcribitur, nec ſimpliciter rejiciendus: Anglicè
autem ſic, Licet, primò quia &c. Ad ſeptimam jam
differentiam accedo, (quæ eſt prioris tantùm ſpecies)
de reſponſis ſcilicet quibuſdam Anglicè factis affirma-
tivis quæ Latinè ſunt negativa, & contrà. In loco 42
32. de miniſterio quæſt. 51. Sintne vel eſſe debeant gra-
dus inter miniſtros, pro reſponſo iſto, ordinis, & poli-
tiæ quidem cauſa inter eos quibus docendi munus in-
junctum eſt, unus aliis præire poteſt, qui inter ſuos col-
legas non gradu (eſt enim inter paſtores communis &
par authoritas) ſed ordine primus ſit &c. Anglicè re-
ſpondetur longè aliter in hæc ipſa verba, Etiam ſine
dubio, nam Apoſtolus facit Epiſcopum, gradum ſupra
preſbyteros aut alios ordinarios ſeniores. Deinde inci-
33. ditur in prius omiſſionis crimen, multis ſcilicet in eo-
34. dem reſponſo prorſus omiſſis. Quàm preterea turpi-
ter idem reſponſum & minuatur & mutetur ad placi-
tum alicuius hierarchici, videat prudens lector ex utri-
uſque comparatione tum Latini autographi, tum An-
glicæ verſionis. In loco 44 de diſciplina, quæſt. 13,
35. penes quem jus excommunicandi eſſe debet, heu quàm
fœde

fœdè mutatur negativum reſponſum, non eſſe penes unumquempiam, ſive Epiſcopum, ſive ordinatum &c. in affirmativum, Anglice, in hæc verba, penes Epiſcopum & Eccleſiæ præfectos, quam paſtor debet pronuntiare, ut conſtat 1 Cor. 5, 4. An hæc (graviſſimi Patres) ſunt ferenda? An ullo modo excuſanda? Quis (obſecro) ex vobis privata ſua dicta, ad alium privatum tantùm ferenda, ita mutari & mutilari ferret? An non ergo multò majus eſt peccatum miniſtri verbi alterius ditionis ſcripta publica, in hac noſtra ita turpiter taceri, minui, & ex affirmativis fieri negativa, vel ex negativis fieri affirmativa? An non hoc contra Chriſti regulam de proximo diligendo? Vos certe mendaciſſimum illum diceretis, qui ita cum veſtris tantùm privatis dictis ageret. An ergo iſta bonam cauſam decent? An non malam potiùs produnt? His ergo & aliis conſideratis, qua (quæſo) fronte poſſunt noſtri hierarchici reprehendere Pontificiorum Indicem quem vocant expurgatorium, cùm ipſi in idem crimen contra fratrum ſuorum libros inciderint? An non ex hoc dolo peſſimo aliiſq; omnibus priùs dictis, plus ſatis manifeſtum eſt, ipſorum cauſam eſſe malam, fratrum verò ſuorum bonam? Vtinam huius tandem ipſos puderet. Vtinam priora omnia ſeriò apud vos cogitaretis, ne in totius Antichriſtiani regni ruina, ſecundùm ſcripturas inſtante, & ſtatim fere futura, vos ſimul cum aliis eiuſdem patronis ruatis & excidamini. Tanto etiam ſancto metu Romæ illa ruina vos percellat, ut meliùs deinceps ſapiatis. Non dubito (graviſſimi Patres) quin optime memineritis diram illam Iehoſchuhhę cum adjuratione exſecrationem contra ſurrecturum ad ædificandam Iericuntem. An minus eſt peccatum ędificare Romam? An levior exſecratio contra eum qui ipſam lapſuram fulcire

Mat. 22, 39 & 7, 12.

Ioſh. 6, 26. 1 Reg. 16, 34.

fulcire conabitur? A fratribus ergo veſtris qui totum Romæ regnum oppugnant, iram jam tandem veſtram avertite,& contra eos convertite, vireſque veſtras ſtringite, qui toti ipſum propugnant. Ita pacato (obſecro) animo hæc omnia accipite, ut tum erga veſtros fratres placatiores, tùm ad Dei voluntatem conformiores poſthæc ſemper facti, non tantùm conſcientiarum veſtrarum dulciſſimam pacem ſentiatis, ſed verum etiam apud omnes ubique eccleſias reformatas honorem habeatis. Imò, ſi ita vos Deum & Chriſtum honoraveritis apud homines hic in terris, Deus quoque in Chriſto *vos honorabit in cælis coram omnibus glorioſis ſuis Angelis*. An non hoc ſequitur à contrariis? Hic ſcilicet honor eſt vera gloria, omnibus hìc hominum laudibus & honoribus plurimùm anteponenda. Si hæc vos non commoveant, cavete ne Deus vos amoveat, & in hoc etiam mundo omnium ludibrio exponat, tantòque ignominioſiores faciat, tum quantò priùs apud homines honoratiores fueritis, tum & quantò fratribus veſtris majorem ignominiam feceritis: & majori adhuc ignominia eoſdem confratres veſtros per indicem novum expurgatorium, per octo hierarchicos, in libros ipſorum & editos & edendos conficiendum, dehoneſtare ſtatueritis. Sed ut meliora de vobis ſpero, ita & meliora ex animo pro vobis precor. Inrerim ſanè, etſi non audeam, nec quenquam alium velim perſonas veſtras condemnare, ſed multis reſpectibus putem poſſe commendari, & magna exiſtimem reverentia eſſe dignas, ex præmiſſis tamen ſatis abunde conſtat, cauſam veſtram nullo modo eſſe approbandam. Deus Opt. Max. pro infinita ſua gratia & miſericordia hanc meam amicam admonitionem faciat vobis pulchram & fœlicem.

1 Sam. 2, 30. Marc. 8, 38.

29. Si priora illa contra Bucanum & alios amplificarem à majore, Doctiſſimi nempe Parei in totam Pauli Epiſtolam ad Romanos commentariorum combuſtione, propter unam à nobis de ſubditorum erga Principes obedientia differentiam, excipiet fortaſſis aliquis, hoc ex Regiæ Majeſtatis mandato factum. Sed videat hoc objecturus, ne aliquis hoc Regium mandatum adulatoria ſua Parei accuſatione, extorſerit: idq; non tam ex odio Parei, & veritatis à Pareo in verbis aliis, preſertim contra Hierarchicam poteſtatem propugnatæ, quàm ex animo tum nimis benevolo erga Papalem diſciplinam & reliquam doctrinam, tum non ſatis benevolo erga Parei Dominum, Illuſtriſſimum Principem Palatinum, totius doctrinæ Antichriſtianæ adverſarium acerrimum. Perículoſiſſimi profecto ſunt eiuſmodi ſycophantæ, maximè Principibus Si de quovis ſycophanta rectè dixerit Diogenes, melius eſſe incidere εἰς κόρακας, quàm εἰς κόλακας, quantò rectius id dici poteſt de adulatoris Regum, quorum authoritas ex Dei authoritate ſacra habenda eſt? Optimè ſanè Pius II. (licet Papa) ad Turcam magnum ad fidem Chriſtianam convertendum ſcribens, eundem Turcam monet, ne ipſum fallerent adulatores, domeſtica Regum & aſſidua peſtis. An non & idem ſcripſit Regia noſtra Majeſtas ad Nobiliſſimum ſuum Filium? Quidni ergo & dicantur tum Regiæ prolis, tum omnium ipſius Regnorum peſtes & hoſtes tanto periculoſiores, quantò ſunt occultiores? Digni profectò ſunt eiuſmodi omnes ſycophantę pœnis illis quas inflixit David, tum Hamalekitę nuntianti Saulis mortem, tum Rechabo & Baanaho Iſhboſhethi caput ad Davidem afferentibus, ut ita nimium tanquam læta narrantes, Davidi gratularentur. Tanto ſanè digniores ſunt iſtiuſmodi

2 Sam. 4, 15.
Cap. 4, 9, 10, 11.

modi ſycophantæ omnes eiuſmodi pœnis, quanto Regiæ Majeſtati ex naturæ vinculo conjunctior eſt ipſius proles, quàm vel Saul,. vel Iſhboſheth Davidi. Quinetiam & caveant iſti ſycophantæ, quicunque putantes ſe ullo modo placentia loqui Regi, ne ſuas illas ficus melle ipſo pro præſenti in ore dulciores, tandem tamen in ventre ſuo ſentiant ipſo felle amariores, ut illi, Hamalakita, Rechab & Baanah, multiq; alii. Præterea, an parum eſt ſubditum ullum ſuiipſius improbitatem ſub Regii mandati prætextu occultare? An non & talis morte quoque digniſſimus? Denique, ut rem ipſam altiùs adhuc penetrē, & ſtultam hanc facinoris illius contra Pareū excuſationem detegam, nec non & vulnerem, quis verè prudens ſatis mirari poteſt, tantam exactā ſeveritatem contra unum doctiſſimi, & nobis amiciſſimi viri librū integrum, in quo multa piè & optimè de multis pręcipuis fidei articulis ſcribuntur, & tamen multos Papiſtarum, Deo & hominibus (in primis principibus) adverſariorum libros, multis tum contra Deum horrendis blaſphemiis, tum contra Principes (maximè præſertim religioſos) perniciociſſimis erroribus refertos, impunes prorſus ferri, & paſſim ubique liberrimè volitare? Sed proh dolor, Hierarchicis noſtris (vel ſaltem ipſorum plurimis) charior eſt ſuiipſorum hierarchica poteſtas, quam vel ulla Dei veritas, vel Regum potentiſſimorum majeſtas.

30. Putaveram hìc quædam interſeruiſſe de eccleſiaſticis ſenioribus, quos theologi orthodoxi κυβερνήτας
1 Corin. 12, 28. dicunt, & quorum poteſtatem apoſtolus κυβέρνησιν dicit, & quos diſtinguit à paſtoribus & doctoribus, dignos
1 Tim. 5, 17 tamen pronuntiat duplici honore, licet iſtos velit in hoc honore maxime ſpectari. Imò qui etiam vocantur
Rom. 12, 8. προϊστάμενοι: & quos denique Apoſtolus paſtoribus &

doctori-

doctoribus adjungit, tanquam socios & adjutores ad meliorem Ecclesiæ administrationem : ac proinde qui æquè esse debent in ecclesia perpetui atq; ipsi ministri verbi, & ex quorum apud nos defectu, ita omnia peccata scatent & ubiq; grassantur, ut omnes videmus : & quorum denique nostri ędiles sunt quædam quasi rudera, in testimonium contra omnes qui hoc munus ab Apostolis unquam positum fuisse negant, adeoque quos alię ecclesię sub hoc nomine secundùm ipsas scripturas habent & tenent, nostri autem hierarchici, & eorum asseclę rident,& ex contemptu omnibus contumeliis cumulant, & per ludibrium dicunt aldermanos: ita scilicet per huiusmodi scommata civilium quoque magistratuum latera transfodientes. De his (inquam) quædam interposuisse putaveram : sed quia in prioribus ampliorem & locupletiorem meam hanc fuisse admonitionem video, quàm ipse mihi priùs proposueram, vel vos credo velitis, & quia pauca adhuc dicenda habeo, proinde satis erit me eorum nomina brevi hoc tantum modo meminisse. Hæc autem ideo memini, ne si prorsus tacuissem me in ipsis vel oppugnandis, vel saltem negandis, cum aliis ipsorum adversariis consortem facerem. Doctissimè modestissimèq; de senioribus hisce ecclesiasticis scripsit non ita pridem reverendissimus D. Gersom Bucerus, ecclesiæ quæ Veriæ apud Zelandos colligitur, pastor, contra Hierarchicum Georgij Downami scriptum. At silet Downamus, os illi obturavit ex eo tempore episcopatus; silent hierarchici reliqui. Quid ita? in vivis adhuc est Doctissimus Bucerus. Videtis satis vos vi argumentorum è sacra pagina convictos: mavultis hodiè (D. Episcopi Anglicani) pugnare flammis contra Paræum in cæmiterio templi Paulini Londinensis, authoritate Regia, & literis regis

contra Bucerũ minacibus, quã ſolidis è ſacra Scriptura argumẽtis,quibus voſmetipſos in mala cauſa deſtitutos animadvertitis. Simulatis vos de Altare Damaſceno ne audiviſſe quidem. parum curatis (eò proh dolor veniſtis,aliqui ſaltem ex vobis,impudentię)quid contra vos (licet authoritate divina probatum) pro veritatis defentione in lucẽ edatur, dummodo vos authoritate Regia muniti, honores veſtros unà cum divitiis veſtris hierarchicos retinere queatis.

31. Si contra omnia de deponendis hierarchicis veſtris honoribus,nec non & de veſtra in cæremoniis imponendis & urgendis ſeveritate remittenda, & cum fratribus veſtris pace facienda, dixeritis (ut ante) vos metuere, ne Regia Majeſtas vobis indignata, vos verè deponat, & alios in loca veſtra ſufficiat,tum pro cæremoniis premendis duriores, tum contra illos quos hactenus dixi veſtros fratres, reliquumq; Chriſti gregem ferociores, quaſi in his omnibus nihil ex vobis ipſis,ſed omnia ex regis authoritate & inſtigatione feceratis,hæc quoq; mihi meliorem de vobis ſpem faciunt,ut ex quibus videamini talem in vobis ſentire ſpiritus & carnis luctam,inter nimirum fratrũ veſtrorũ cauſam & priorẽ veſtrũ hactenus contra ipſos curſum, qualem in utero ſuo ſenſit Rebecca inter Iahhakobum & Eſauum. Quid
Gene. 25, 22 23. ergo? Scilicet etſi in Rebeccæ utero Eſau ſuperavit Iahhakobum, adeòq; prior ex utero erupit, quem tamen Deus prædixit à Iahhakobo pòſt ſuperatum fore, ita ſanè videor mihi pręſagire,errorem veſtrum de hierarchia & conformitate, jam quidem in vobis pręvalentem,adeoq; & priùs prodeuntem, nec non & vos cogentem
Rom. 7, 19. *facere malum quod nolitis,bonum autem quod velitis non facere*, pòſt tamen à veritate ſuperatum fore, & omnem illam veſtrã pro hierarchia acrimoniam, cum veſtra

vestra quoq; contra fratres acerbitate,tum Christi veritati, tum erga fratres clementiæ & mansuetudini cessuram & servituram. Sed ut de hujusmodi metu, quędam prius dixi,ita nũc pauca plura liceat mihi addere. Quorsum ergo vobis tantopere metueretis à Rege tam docto, tam religioso, tam erga Majestatis suæ aliquando adversarios clementi, benigno, & facili ad faciendam ipsis veniam,qui indignationem ipsius sunt justè commeriti? An vos ex hac vestra ab hierarchicis honoribus abdicatione, & erga fratres vestros mansuetudine, imò & cum ipsis communione ipsius contra vos majestatem provocabitis? Absit huiusmodi omnis cogitatio de tanto Rege. Quin potius gaudebit de tanta Dei gratia vobis facta. Prætereà,si verè hoc vobis metuatis, unde hic vester metus nisi à vobis ipsis? Priusquam enim ad hæc Angliæ sceptra Deus ipsum evexerat,nihil eiusmodi in Scotia metuendũ ulli erat. Imò tũ omnẽ hierarchiam,tũ cęremonias &ritus alios omnes papales ex regno illo suo prorsus ablegaverat. Memineritis etiam (obsecro)majores vestros episcopos omnia hęc hinc relegare potuisse, & tamen noluisse. Anno profectò xiij. Reginę Elizabethę,in Parliamento tũ celebrato,missos quosdã episcopos,aliosq; etiã ex Convocatione ad subsidiũ à clero cõcessum ex more majestati suæ exhibendũ, ita gratiosissimè est allocuta,Se multa(dicens)audivisse esse quæ in his ecclesiis reformatione haberent opus,quę si certò intelligeret, nõ clausurã se suos oculos nisi priùs facta reformatione: Se autẽ in ipsis spẽ suam reposuisse, tanquam ecclesiarũ harũ oculis, ad videndũ si quid esset, quod esse non oportuit: ac proinde culpam omnem in ipsos esse transferendam, si quid remanserit verbo Dei non consonum, & quod reformatione opus haberet. Præclara profectò verba,

& tanta Majestate digna. Dignissima etiam quæ ad omnem posteritatem literis aureis conscripta transmittantur. Sed quid illi præsules, ita à collegis suis missi & hęc audientes responderunt? Nihil equidem, nisi omnia fuisse bene. Obliti scilicet quod in præfatione publicarum precum libro præfixa, publicè priùs agnoverant, *Optandum esse, Antiquam Ecclesiæ Primitivæ disciplinam restitui.* Quod insuper ad metum illum vestrum attinet, videte ne per eam Religiosi nostri Regis majestatem lædatis ad vestram socordiam & ignaviam excusandam. Deinde, An Esthera & Nehemia divina gratia freti, & jejunio precibusque priùs armati non timuerunt sibi Ethnicos principes adire, eosq; pro populo Dei & templo Hierosolymitano interpellare, neminem ex eorundem principum aulicis amicum habentes, & vos non audetis Christianum Principem, fideique defensorem, in causa tam bona, tam pia compellare? cùm præsertim noveritis multos ex ipsius religiosis Nobilibus vestram eiusmodi submissionem, & pro Ecclesia Dei petitionem Regiæ Majestati vobiscum commendaturos? Si Principes etiam illi Ethnici gratiam fecerint Esteræ & Nehemiæ, an à nostro Rege similis gratia non est multò magis speranda? Si verò ex justo Dei judicio pro infinitis huius regni clamantibus peccatis, Rex noster seriò velit, tum hierarchiam vestram manere, tum & cæremonias vestras adhuc observari, nec non & fratres illos vestros semper coerceri, adeoque & Euangelii prædicationem cohiberi (quod absit) unde hæc tanta Regii sui animi mutatio nisi à vobis ipsis, & ex vestra pro hierarchica vestra potestate contentione?

Esther. 5, 1. Nehem. 2, 2.

32. Si tales etiam velitis esse Episcopi, qualem fuisse Timotheum contenditis, An Deus vobis spiritum timidi-

2 Tim. 1, 6.

miditatis dedit, & non roboris & charitatis? Absit, vos vestrum honorem Episcopalem ita dicendo dedecorare. Quin potiùs ita corroboramini, ut Timotheum voluit Paulus corroborari, ἐν τῇ χάριτι τῇ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Nolo vos premere fortitudine eiusmodi vel prophetarum, Iohannis Baptistæ, apostolorum, & aliorum quos pro fortitudine commendant scripturæ, vel etiam Episcoporum nonnullorum, quos ecclesiastici scriptores erga Imperatores ipsos fortissimos fuisse referunt, In his enim vos meliùs versatos esse quàm meipsum, ut oportet, ita liberè & ingenuè agnosco. Vnum tamen (obsecro) recordemini Amphilochium (quem Theodoritus Episcopum dicit Iconij: Sozomenus autem obscuri tantùm cuiusdam oppidi sacerdotem). Hic veniens cum quibusdam de Episcopis, (ut Sozomenus ait) solus autem (ut Theodoritus) ad Imperatorem Theodosium visendum, idque ex animo supplicandi contra Arianos, more debito primum salutavit ipsum Imperatorem: Imperatoris verò filium (tum tantùm puerum) adstantem non omninò honoravit (secundùm Theodoritum) aut saltem (secundùm Sozomenum) non tantùm ei exhibuit honorem quantum exhibuerat ipsi Imperatori: sed tantùm dixit, Salve fili, simulque caput manu demulsit. Hoc indignè ferens Imperator, filio suo non parem cum seipso præstari honorem, idque ex majestatis suæ contemptu fieri interpretatus, Amphilochium statim jussit cum dedecore foras exterminari. Raptus autem à lictoribus Amphilochius, ad Imperatorem conversus fortiter dicit, *Ad hunc modum Imperator existima, cœlestem quoque Patrem excandescere in eos, qui Filium cum Patre non æqualiter honorant, & genitore inferiorem nuncupare audent.* Hoc admiratus Imperator, nimiùm ante inclinans

Theodorit. li. 5, cap. 15. Sozom. lib. 7, cap. 6.

nans ad Arianiſmum, Amphilochium ſtatim revocat, & veniam ab ipſo deprecatus, verè ipſum locutum agnoſcit, & ab omni Arianiſmo ſtatim eſt mutatus. Videtis hìc (Patres reverendiſſimi) Amphilochii fortitudinem præclaram, videtis eiuſdem ſucceſſum optimum. Scilicet, *Res tempore ſuo, o quàm bona eſt? Velut*
Prov.15,23. *mala aurea cum figuris argenteis eſt verbum dictum com-*
Prov.25,11. *modè. Fidelia* (quoq;) *ſunt vulnera amici: & qui cor-*
Prov. 27,6. *ripit hominem* (etiam maximum) *gratiam pòſt conſeque-*
cap. 28,23. *tur, potius quàm qui blanditur lingua.* Quid ni ergo & vos ſecundùm illud exemplum, & has ſcripturas eundem ſperantes ſucceſſum, eadem utamini fortitudine?
Prov.21,1. Vt omnium ita & *Regis animus eſt in manu Dei, tanquam rivi aquarum. Quocunque vult inclinat eum.* Quod veſtrum eſt, id agite. Deo ſucceſſum relinquite. An non Principes errore aliquo impliciti, æquè hodiè admonitionibus opus habent atq; unquã? An non Deus *vult* tam reges & quoſvis eminentes, quàm alios *ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis ve-*
1 Tim.2, 4. *nire?* An ad hoc perficiendum, non tam admonitiones adhibendæ, quàm pro ipſis preces faciendæ? Quis ad
Lev.19,17. hæc vocatus, Principes poteſt dici diligere, qui hęc non præſtat? Imò quis eiuſmodi non poteſt verè dici tam Principes odio habere, qui ipſos peccantes liberè non
1 Ioha.3,15. corripit, quàm ullum alium fratrem? Imò an non æquè homicida eſt, qui ita teſtatur ſe odiſſe Principes, atque qui eodem modo odium teſtatur vllius fratris?

Eximia Edmundi Grindalli fortitudo.

33. Vnum adhuc aliud exemplum, liceat mihi vobis commendare, non quidem (quod novi) uſquam ſcriptum, ſed quod tamen multos ex vobis noviſſe putem. Hoc eſt Reverendiſſimi illius Patris, Edmundi Grindalli Archiepiſcopi Cantuarienſis. Hoc tantò vobis eſt aptius, quia veſtri fuit ordinis, & quia in eadem

ferè

ferè causa, in qua vestram fortitudinem nunc postulo, se fortissimum præstitit. Reginea enim Majestas, non proprio suo Marte, sed ex quorundam aulicorum maligna adulatione, & tacitis contra Euangelium inimicitiis, ipsi mandaverat, tum concionatorum numerum in quavis diocœsi minui, tum prophetiarum exercitia (tunc ubique frequentia) & ministrorum conventus coerceri. Quid ad hæc respondit vir ille optimus & eximius? stupore quodam præsenti ex tam duro mandato perculsus, prorsus tacens, ad domum suam totus mœstus se contulit. Pòst verò gravissimas, doctissimas, religiosissimas & amplissimas literas, ad Regineam majestatem propria sua manu scripsit, & misit. In his multa profectò sunt, tum tanto viro dignissima, tum & quæ vestros possint spiritus acuere, & cordatiores quoq; vos facere. Primùm à priore suo metu pręfatur, ut qui videret duri illius mandati executionem, tum Regię personę periculosissimam, tum toti hìc Dei ecclesię perniciosissimam futuram. Tum omni cum humilitate & humilima gratitudine beneficia à Regia sua majestate accepta agnoscit tantò fuisse majora, quantò ipse iis fuerat indignior, adeoque se tantò magis obstrictum esse dicit ad respondendum per literas: apertè etiam negans ullum sibi esse animum contra Majestatem suam ullo modo peccare, nisi Dei causa, Ecclesiæ officijque sui ratione & conscientiæ testimonio id postulantibus. Pòst ab adjunctis quibusdam ministrorum ex Ezekiele demonstrat ipsos non debere adulari, sed de venturo gladio admonere, & à peccatis revocare, ne alioqui sanguinis se reos facerent, &c. Tum veniam precatur si priori suo mandato non obtemperaverit, à magna Dei ira

Ezek. 3, 17. *&c.* & 33, 2, *&c.*

K sequente

sequente tum populi à Davide numerationem, tum &
1 Sam. 24, 2 Reg, 20, 13 Hezekiæ humanitatem in legatis Babyloniis accipiendis.
2 Reg, 20, 14 Priora amplificat hic vir clarissimus ab exemplis Gadi reprehendentis Davidem, & Isajæ redarguentis
Isai. 39, 3. Hezekiam, &c. nec non etiam & Eliazeris similiter ob-
2 Chron. 20 37. jurgantis Iehoschaphatum pro fœdere inito cum impio Achazia. His addit exemplum Ambrosij Impera-
Centur. 4, ca. 5. pa. 1560. torem Theodosium suadentis impium suum revocare edictum pio cuidam Episcopo factum de Iudaica quadam synagoga reædificanda, à Christianis priùs funditus subversa. Deinde plurimùm dicit se miratum quomodo opinio tam mira ipsius animum incesserat, Ecclesiæ paucos concionatores sufficere, cum scriptura tantopere commendet uberimam Euangelij prædicati-
Matth. 9, 37. onem, jubeatq; precari plurimos in messem Domini
Luca 10, 2. operarios emitti, doceatque templum Hierosolymita-
2 Chron. 2. & 17. num extruendũ habuisse centies quinquagies ter mille sexcentos operarios &c. Huc multa alia ex novo Testamento accõmodat, mandatum nempe Christi de Euan-
Marc. 16, 15 gelio prædicando *cuivis creaturæ*: Pauli ad Colossen-
Colos. 3, 16. ses præceptum de Christi sermone in ipsis habitando copiosè &c. sic & ad Titum de presbyteris κατὰ πόλιν
Titus 1, 5. constituendis &c. Hæc & alia plurima accomodat ad necessitatem demonstrandam plurimorum concionatorum & doctorum ad populum instruendum. Hoc quoq; magis confirmat ab effectis, magna scilicet populi erga magistratus obedientia ubi verbum uberimè prædicaretur; quod etiam illustrat à Londinensium acclamationibus, & precibus, multisque aliis gaudij testimoniis ad Majestatis suæ conspectum, his omnibus manantibus ex uberiore verbi prędicatione Londini, quàm alibi. Idem amplificat à contrariis rebellionibus & insurrectionibus, ubi verbum non ita prædicaretur.

Tum

Tum interpoſitis quibuſdam de cura ſua collocandi concionatores in provincia Eboracenſi ubi priùs fuerat etiam Archiepiſcopus, & de ipſorum fructu, ut etiam de modo prædicandi ſine eloquentia humana, & cum omni ſimplicitate, nec non quoq; de occultis quorundam contra verbi prædicationem oblocutionibus ad ipſam religionem in contemptum trahendam (ut hodiè trahitur ex miniſtrorum abdicatione, & multorum bonorum multis moleſtiis) Iſtis (inquam) interpoſitis, occurrit objectioni de homiliarum lectione, eam dicens nullo modo comparandam cum verbi prędicatione, ſed Eduardo ſexto (beatæ memoriæ Principe illuſtriſſimo) regnum incipiente inventam fuiſſe propter prædicatorum paucitatem ; oportere tamen ex huius Regni ſtatuto prædicationi cedere : ut quæ nunquam haberetur ſufficiens, ad populum inſtruendum. Idem pòſt addit de aliis eruditionis inter miniſtros exercitiis, præcipuè de prophetandi modo tum in more, ad ſacrarum literarum cognitionem augendam. Imò huius multis enumeratis commodis (proh dolor ergo quod ita jam profligetur) dicit eius abrogationem plurimis impiis fore gaudium, quod & omnes hodiè pij ſummo cum dolore vident ex fratrum veſtrorũ tanto ſilentio. Denique omni cum humilitate concludit, ſe non poſſe ſalva conſcientia ſine peccato contra Deum aſſentire ad exercitia illa cohibenda, multò minùs ad ullas emittendas monitiones de iiſdem per alios cohibendis, ut qui cum apoſtolo poſſet dicere, ſibi Deum non dediſſe poteſtatem ad ſubverſionem, ſed ad ædificationem Ecclesiæ : & rurſum, ſe nihil poſſe adverſus veritatem, ſed pro veritate. Poſtremò addit, ſi Regię ſuæ Majeſtati viſum fuerit, ipſum de loco ſuo movere, paratiſſimum ſe fore cum omni humilitate reddere quod acceperat,

2 Cor. 10, 8. cap. 13, 8.

Hebr.10,31. ut qui conſideraverit, quàm *horrendum eſſet in manus Dei incidere*, & qui quicquam facit reluctante conſcientia, ipſum theſaurizare ſibi iram. Et quid (inquit) mihi lucrarer, (non dico ſi lucratus fuero Epiſcopa-
Mat. 16,26 tum, ſed) ſi totum mundum lucratus fuero? Tandem veniam precatus, ſi in terreſtrem ipſius majeſtatem maluerit peccare, quàm in cœleſtem ipſius Dei, duo præterea petit; primum de rebus eccleſiaſticis quę religionem & doctrinam aut diſciplinam ſpectarent, ad Epiſcopos alioſque theologos referendis &c. ſecundùm, ne quando ageret de rebus fidei, & religionis, Eccleſiamque Chriſti ſpectantibus, quæ eſt ipſius ſponſa, maximo pretio empta, ita peremptoriè pronuntiaret, ut ſolebat de rebus civilibus, ſed ſemper cogitaret in rebus Dei, voluntatem Dei, non terreſtris ullius creaturæ locum debere accipere: Antichriſtianam autem vocem eſſe, Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas. In rebus etiam Dei,
Pſal.2,10. Principes omnes ait oportere ſceptra ſua ſubjicere Dei Filio, os ipſius conſulere, quid ſit agendum, ut David hortatur Reges omnes alioſque terræ Iudices facere cum reverentia & tremore. Ad omnia concludenda, monet ipſam meminiſſe, ſe eſſe mortalem, & (ut dictum erat Theodoſio) non ſpectare purpuram aliaque indumenta Regia, ſed conſiderare quid his tegeretur, carnis nimirum & ſanguis, pulvis atque cineres, corpus corruptibile, in terram ſuam reverſurum, ipſamque tandem comparituram coram tremendo tribunali Chriſti crucifixi. Poſtremò hortatur apud ſe recordari, quòd etſi potentiſſima eſſet Princeps, potentior tamen eſſet qui in cœlis habitat. Imò in viſceribus Chriſti ipſam obſecrat, in conſiliis ſuis omnibus de religione Deum

ob oculos ſibi proponere, & omni depoſita terreſtri majeſtate apud ſe ſtatuere obedientiam præſtare voci ipſius, nec non & cum omni humilitate dicere, *Non mea, ſed tua fiat voluntas*: idque tantò magis propter multiplicia beneficia, quibus Deus ipſam locupletaverat, multiplicemq; proſperitatem, per quam Deus ipſam glorioſam fecerat.

34. Hęc, hæc (Reverendiſſimi Patres) fuit illius Reverendiſſimi Patris fortitudo. Quantò uberiùs hanc explicavi, tantò magis eandem vobis accommodate. Quod Chriſtus ab exemplo Samaritani dicit legis interpreti; *Abito, & fac tu ſimiliter*, idem *Luca 10, 37.* vobis ſingulis dictum arbitramini. Neque tamen quod ex literis commemoravi de rebus religionem ſpectantibus ad Epiſcopos alioſque theologos referendis, id ita interpretemini, quaſi ipſe putaret ad Regem noſtrum & Parliamentum ex omnibus huius Regni ordinibus compoſitum nihil pertinere de religione ſtatuere, (hoc enim & aliorum & Epiſcoporum omnium juramento de ſumma Regis in omnibus cauſis, & in omnes perſonas intra regna ſua authoritate repugnat) ſed hoc tantùm voluit, nihil debere ab ullis Principibus ex illa ipſorum authoritate mera de religionis dogmatibus determinari, ſed conſulendos etiam eſſe Epiſcopos & Theologos, & ſecundùm ipſorum ex ſacris ſcripturis judicium agenda eſſe omnia. Papiſtarum eſt, ſolos Epiſcopos deciſiva (ut loquuntur) habere ſuffragia in conciliis omnibus: reliquos autem miniſtros approbativa tantùm: eorum ſcilicet quæ epiſcopi ſtatuerint: Laicos verò nulla omninò. Sed quàm iſta abſurda? In prima & optima ſynodo Hieroſolymitana, non tantùm erant Apoſtoli, ſed alij etiam *Acto. 15, 6, 22, 23.* preſbyteri, & tota quoque Eccleſia Hieroſolymitana: & tam

tam ex presbyterorum & reliquæ Ecclesiæ, quàm ex Apostolorum sententia omnia acta erant. David ad arcam in locum suum ducendam disertè dicitur iniisse

1 Chron. 13, 1, 2. consilium, cum Chiliarchis & Centurionibus, & cum tota cogregatione Israelitarum: Cùm autem ex Huz-

1 Sam. 6, 7. ziæ à Deo percussione errasse se & alios videret impo-

Num. 7, 9. nendo arcam plaustro, Pelistæorum potiùs exemplum imitatos, quam legem recordatos de ea ferenda super

1 Chron. 15, 2, 11, &c. humeros Levitarum, quam tamen legem pòst optimè meminit (ita scilicet tota ecclesia errare potest.) Cum (inquam) hoc suum & aliorum omnium (etiam ipsorum sacerdotum) erratum videret, omnes Israelitas rursùs congregavit ad idem negotiū peragendum. Pòst

1 Chro. 25, 1 etiam David distincturus quosdam ad sacra quædam ministeria, non id fecit ex se solus, aut ex sacerdotum tantùm consilio, sed principes quoque militiæ in hoc

2 Chro. 25, 1 opere sibi adjunxit. Nec Hezekia tantùm ipse solus, sed principes etiam eius, cum tota congregatione inierunt consilium de celebrando Pascate mense secundò,

Exo. 12, 18. Num. 28, 16 quia nō potuerunt illud celebrare mense primo secundùm legem. Neque tamen hoc fecerunt ex cerebro suo (quasi, ut blaterant Papistę, ecclesię liceret legis pręstitum mutare) sed ex ipsius Dei authoritate, quia quod mandaverat Deus de uno immundo qui propter im-

Num. 9, 9, 10. munditiem suam non esset idoneus ad Pasca celebrandum mense primo, id simili postulante ratione de tota congregatione intelligendum. Vt clarissimus ille vir ad serenissimam illam Reginam scripsit, ita utinam & vos alijq; omnes concionaturi in aula Regia, aliisque huius regni locis celeberimis velitis eodem modo prę-

Isai. 58, 1. Ezec. 33, 3. dicare, & elata voce tanquam tuba aut buccina clamare, & quasi intonare, ad Regis & Nobilium, aliorumq; omnium procerū defectiones & peccata ipsis demonstranda.

ſtranda. Quo enim eminentiores ulli ſunt, eo magis opus habent eiuſmodi concionibus. Tum etiam & major omnibus reverentia incuteretur, & tanta ad legem Dei ſperanda eſſet conformitas, quantam vos diu impoſuiſtis ad humanas traditiones. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Ita quoque & meliùs agnoſcerent, quod etſi Deus ipſe *ipſos Deos dixerit, & filios Altiſſimi, æquè tamen morituri ſint*, *atq; plebei homines.* Si hunc liberum prędicandi modum negligatis, ſi dulcia tantùm canatis, & eorum contritionem non curetis, ſed dicatis ſemper Pax, Pax, etſi nulla ſit pax, adeoque ipſos à peccato ad peccatum pergere ſinatis, cavete ne vos alijq; eiuſmodi concionatores ipſorum ſanguinis rei inveniamini, nec non & gladio & fame pereatis, etiam in via: uncto autem ſuo & poſteris ſuis cæteriſque magnatibus Deus aliunde ſalutem mittat, videlicet è ſancto ſuo, ipſis cælis. An vultis ipſorum eſſe paſtores, & ipſos non paſcere? An ſpeculatores, & ipſos non admonere? An cuſtodes, & ipſos negligere, obliti quomodo David Abnerum & alios cum Saule increpaverit, quòd Saulem meliùs non obſervaſſent, & propterea reos mortis ipſos pronuntiaverit, vobis ſemper ſperantes impunitatem? An non Regum & magnatum omnium animabus inſidiantur plures & potentiores hoſtes, quàm ulli tum inſidiati ſunt vitæ Saulis?

Pſal. 82, 2, 7 — Ierem. 6, 14 — Ezec. 33, 6. — Iere. 14, 15. — Pſal. 2. 12. — Pſal. 20, 2. — 1 Sam. 26, 15, 16.

35. Liceat etiam (quęſo) mihi veſtram precari gratiam, vel ex vobis ipſis, vel ex Regis gratia à vobis petita, pro majore populi libertate ad verbum prædicatum, non tantum in parochiis ſuis audiendum, ſed etiã aliis in locis, ex ore tam aliorum miniſtrorum quàm ſuorum: modò & modum & tempus obſervent, nec ſuis miniſtris concionantibus injuriam ullam faciant, nec ſpeciales ſuas vocationes negligant. Deus prædixit

&

Isai. 2, 2. &promisit his ultimis temporibus, pios alios alios hor-
*Mich.*4,1. taturos & provocaturos ad ascendendum in montem
*Zach.*8,21, Iehovæ, & in domum Iehovæ &c. & unius civitatis ha-
22. bitatores alteram adituros dicendo, *Eamus indesinenter*
ad deprecandum faciem Iehovæ, &c. An hęc ad templum
Tit. 1, 2. tantùm Hierosolymitanum pertinebant? Aut num
Num. 23,19 Deum qui mentiri nescit mendacem, aut promissi sui
1 *Sam.* 15, oblitum facietis? An obliti estis & vos, *A diebus Iohan-*
29. *nis regnum cælorum vim passurum, & quemvis in illud vi*
*Matt.*11,12 *quadam irrupturum?* Vos obsecro, obsecro, ne hoc im-
Luca 16,16 pediatis. David sub lege lætatus est, sibi dici *Domum Ie-*
*Psa,*122, 1. *hovæ adeamus*, & nos sub Euangelio tam maligno &
malevolo animo erimus, ut hunc zelum aliis invidea-
mus? Sub Euangelio (inquam) quod lege & propheta-
*Heb.*1, 1, 2. rum omnium ministerio tantò est præstantius, quantò
& 2, 2, 3. ipse Christus præstantior est tum Mose & Prophetis,
Ephes. 3,10. tum ipsis angelis? Imò, per quod in ipsa hìc ecclesia,
imperiis & potestatibus in cœlis *nota fit multiformis sa-*
pientia Dei? In quod deniq; ipsi *angeli desiderant* παρα-
1 *Pet.* 1, 12. κύψαι: & quasi extento collo & exerto erectoq; capite
introspicere. Absit, Absit. Imò dicat quisq; Deum, &
Christum, & Zionem verè diligens, Apage, Apage, hanc
pessimam & diabolicam invidiam. Iubetur verbum
2 *Tim.*4, 2. tam intempestivè quàm tempestivè prædicari. An non
& ita audiendum? Quomodo enim cum studio fidei
2 *Pet.*1,5,6. debet populus adjicere fortitudinem, & fortitudini (vel
Martiali virtuti) scientiam; ad fortitudinem nempe
2 *Pet.*3, 18. moderandam: & in gratia & agnitione Domini nostri
Iesu Christi crescere, sine verbi prædicatione? Æquè
nunc atque unquam necessaria sanè est, imò & multo
magis, cessantibus jam magnis Apostolis, prophetis &
Euangelistis, nec nō & grassantibus ubiq; Iesuitis, aliisq;
erraticis errorum spiritibus, per quos & in quibus ob-
ambulat

ambulat ipſe quoque diabolus, *quærens quem poſſit dilaniare & devorare.* Dici non poteſt quantum ſit peccatum *magnam illam ſalutem negligere*, quæ primùm ab ipſo Domino cœperit prædicari. An ergo leve eſt populi zelum extinguere? Chriſtus dicit, *operemini cibo permanſuro*, an vos dicetis, ne operemini? An ſatis idoneos miniſtros putatis eſſe qui inepti prorſus ſunt ad docendum, & nihil poſſunt niſi legere; Imò & vix illud diſtinctè? An non tantò magis, & omnibus & ſingulis Chriſtianis *tota illa armatura* opus eſt quam Paulus commendat, & quæ nuſquam eſt invenienda niſi in verbo, quantò magis illi ſalutis humanæ adverſarij, Satan ipſe & Ieſuitæ, alijq; eius ſatellites, ipſos ubique adoriuntur, & tanquam tum apes, tum etiam apri, & robuſti juvenci (ſive tauri) Baſchanis undiq; circumdant, obſident, & oppugnant? Vt Patres ergo compellamini, & compellari vultis, ita in hac populo facienda libertate ad animarum ſuarum pabulum (Dei verbum) comparandum vos Patres demonſtrate. Nec ipſi hac in re populi zelum invideatis, aut impediatis, nec alios invidere aut impedire patiamini. Quin potiùs tum de eo lætamini, tum eum quoque quantùm poteritis, alite, fovete, augete. Poſtremò quod ad meam apud vos ſupplicationem attinet, pro veſtra ad Regiam Majeſtatem petitione, tum pro fratribus veſtris verbi vobiſcum miniſtris, tum pro aliis piis; quid ſi Regia Majeſtas hęc à vobis jam diu expectaverit? Ita profectò officij noſtri ratio ſuadet ex charitate potiùs judicare, quàm ullo modo de Regia ſua gratia dubitare.

1 Pet. 5, 8. Hebr. 2, 3. Iohan. 6, 27. Epheſ 6, 12. Pſ. 118, 12. Pſal. 22, 12.

36. Plura (Reverendiſſimi Patres & ampliſſimi viri) ſcribenda habui; & ſcribere apud me ſtatueram, ſed quia nimiam nolim vobis moleſtiam facere, proinde

hic scribendi vela contraham, & pennæ meæ pedem figam, ne latiùs quàm par est expatietur. Si quę ex Dei zelo, & charitate tùm erga ecclesias hic Dei, tum erga vos ipsos scripserim, vestram contra me iram irritaverint, ipsam tamen remittite, nec super eam solem occidere sinite: quandoquidem *ira viri justitiam Dei non exequatur*. Si quid in prioribus omnibus vel pro fratribus vestris, vel pro re ulla alia dictis occurrat minùs cautè dictum, id (humilimè obsecro) ne torqueatis vel ad fratres illos vestros duriùs tractandos: vel ad meipsum quærendum & persequendum. Hęc κακοηθεία, & omnium in malam partem interpretatio peccatū esto vel gentium nescientium Deum, vel malignorum illorum contra Christum testium, vobis autem, aliisq; omnibus Christum diligentibus longissimè absit. Solus profectò omnia scripsi: nec ullius ope usus, nec quenquam mihi à cōsiliis facere ausus, ne vel ipsi me ex infirmitate proderent, vel ego ipsos ex vestro contra me rigore, ullo modo proditus & inventus, in periculum mecum traherem. Quia multa contra Papistas dixi magis sanè ab ipsis, quàm à vobis metuens, nomen his scriptis non apposui, aut cuivis alij me revelavi, ne in manus ipsorum incidens, subitò & occultò perirem, omnibus nescientibus vel quid de me actum esset, vel quis mihi manus violentas & cruentas intulisset. Sunt enim supra alios omnes maximè viperini. Quod pro meipso peto, idem quoq; pro fratribus illis vestris peto, ne duriùs scilicet quàm par est singula ipsorum scripta accipiatis. Nam non soli tantum sæpe scribunt, sed libris etiam ferè omnibus destituti: vel eos vendere & mutare quadrata rotundis ad panem quotidianum sibi comparandum ex necessitate coacti, vel tum ab iis quos habent, tum ab ædibus suis ita pulsi, & (quasi) profligati,

Ephes. 4, 26. Iacob. 1, 20.

Rom. 1, 29.

Matth. 26, 60, 61.

gati, ut in ſcribendo eorum beneficio non poſſint frui. An autem artifex ullus ſine artis ſuę inſtrumentis quicquam poteſt accuratè operari? An non & paritura mulier, in partu non habens alias ſibi auxiliatrices, liberos ſæpe parit mancos atq; mutilos, & ita in parte aliqua lęſos, ut nulla unquam pòſt arte perfectè poſſint curari? Ne ergo miremini ſi fratres veſtri licet viri docti, ita ſcribentes ut antè dixi, libros aliquādo edant, & in vulgus emittant, nō tantùm nō politos, & quoad formam accuratos, ſed quibuſdam etiam in rebus multò imperfectiores, quam ipſi velint, & vos pro magna veſtra eruditione expectatis. Si quædam etiam ex magna illa veſtra eruditione vel in his meis ſcriptis, vel in aliis aliorum veſtrorū fratrū libris obſervaveritis, quæ emendari poſſint; imò, quæ fortaſſe juſtè ſunt reprehendenda, propter hæc tamen quædam, ne rejiciatis omnia. Quis vel doctiſſimus in hac doctiſſima ætate hodiè quicquam poteſt ſcribere, quod ab aliquo non reprehendatur? Imò nemo vel doctiſſimorum opera accuratiſſimè ſcripta magis ſolet carpere & vellicare, quàm qui eſt ipſe indoctiſſimus, & nec quicquam ſcribit, nec ſcribere poteſt. Sed ut eo redeam unde paululum ſum digreſſus, ad veſtram ſcilicet pro meipſo gratiam deprecandam, ſi veſtram contra me iram exilire patiamini, & ex juſtitiæ prætextu ad me inveſtigandum quis ſim & ubi degam authoritate veſtra utamini, nec nō ex ſuſpicione aliquo veſtros nuntios mādatis veſtris inſtructos emiſeritis ad me perſequendum (tanquam perdicem in monte) & coram vobis ſiſtendum, illi fortaſſe veſtri nuntij in alium aliquem incident, vel pro perdice invenient aut canem mortuum, aut puſillum pulicem, ex frigore ita maceratum, ut ex illo inter ungues compreſſo ſanguinem ullum elicere non poterint. Pinguiore

1 Sam. 26, 20.

1 Sam. 24, 14.

fortaſſe & robuſtiore corpore videor quàm ſum: quod tamen mortuum, ipſis quidem vermibus non tantam eſcam ſuppeditabit, quantam ex corpore ſuo ſperaſſe lepidè aliquando dixit clariſſimus. ille Martyr Doctor Tailer. Et quid mea vobis proderit moleſtia? Imò videte ne ea qua me vel ullum ex veſtris illis fratribus ignominia afficitis veſtra magis ſit, quàm mea aut veſtrorum illorum fratrum. Imò videte, ne mea & illorum ignominia, aliiſque moleſtiis, ipſis Papiſtis gratificemini, & triumphandi cauſam præbeatis, quaſi ſcilicet per vos maliciam, indignationem, & vindictam contra nos ſuam executis. Imo videte, ne dum me & veſtros illos fratres perſequi pergitis, nomen ipſius Dei & doctrinam, tum à Papiſtis, tum ab aliis omnibus impiis faciatis blaſphemari, nec non & multos infirmos, &(quaſi) heri renatos, (quantùm in vobis eſt) ab Euangelio arceatis, aut ita ſpiritum ipſis frangatis aut enervetis, ut animum deſpondeant, & cum primoribus il-
Ioh. 12,42. lis Iudæorum non audeant propter vos ita Chriſti nomen profiteri ut oportet, ne ſcilicet per vos aut veſtros ſynagogis veſtris moveantur, aut aliquod aliud moleſtiæ genus patiantur. An etiam putatis quicquam vobis lucri fore ex veſtra illa Papiſtarum gratificatione, aut ulla alia facta ipſis benignitate, ſi quando (quod abſit) voti ſui compotes fiant, & contra tum vos tum alios hìc pios prævaluerint? Heu, quantùm fallimini? Etiamſi vobis quicquam promiſerint, an fidem tamen præſtabunt? Nihil minùs. Pro hæreticis nos omnes habent: & nullam cum hæreticis fidem tenendam mordicus tenent. Imò vos fortaſſe duriores ipſos ſentietis quàm alij. Si hæc omnia veſtram contra me iram ex præmiſſis accenſam non poterint ſedare, quin me velitis venari ad captum, memineritis quid

re-

ſponderit Ieremia, ad ſui temporis ſacerdotes & prophetas, & me poſſe idem vobis dicere cogitate; nihil ſiquidem conſcius mihi ſim me locutum, niſi quod juſtè & verè loqui potuerim: & quod nunc dici vos ipſi opus habueritis. Ier.26,14.

37. Quid dicam præterea? Quicquid feceritis, quod antè dixi, id nunc repeto; ut ſemper pro vobis precatus ſum, ita abſit mihi, in Iehovam peccare, & non ſemper pro vobis precari. Quid autem precabor? *Pater remitte eis.* Non quod neſciatis quid feceritis aut faciatis, ſed quia quantò major veſtra eſt ſapientia, tantò quoque & majus veſtrum eſt periculum, niſi interim ſapueritis, & prævidentes malum vos ab eo abſconderitis. Quomodo enim poteſtis ignorare quod tam ſæpè multorum doctiſſimorum virorum ſcriptis, tum ex noſtra Eccleſia, tum ex aliis omnibus Eccleſiis reformatis ita demonſtratum eſt, ut cœlum & terra priùs ſint ruitura, quam poterit illorum veritas labefactari. Deum tamen Optimum Maximum precor, *non congredi vobiſcum judicio, nec ira ſua vos reprehendere*, ſed gratiam vobis facere ad veram omnium veſtrorum operum contra Euangelium & fratres veſtros reſipiſcentiam. Imò & hoc ſperans veſtras quoque pro meipſo preces ipſe precor. Pro fratribus quoque illis veſtris, quos tantopere vobis hactenus commendavi orate, ut qui dicere poſſint ipſos confidere *ſe bonam conſcientiã habere, in omnibus cupientes honeſtè converſari.* Pro Sereniſſimo inprimis Rege, & pro Regia ipſius ſobole tantò ardentiùs precamini, quantò aſtutiùs Papiſtę religioſos ipſorum animos aucupantur, & ſuis laqueis illecebriſque omnibus modis quærunt & dies nocteſque machinantur irritire, & quaſi faſcinare

Luca 23,24
Luc. 12,47
Prov. 22,3.
Pſal. 143,2.
Pſal. 6,1,2.
Hebr. 13,18.

Galat. 3, 1. ne ampliùs veritati obſequantur, ſed poſt multam ex veritate gloriam à veritate averſi, ad ipſos & diabolicos ipſorum errores trahantur; ut aliquando eiuſmodi artibus uſi Principes Iehudæ, poſt mortem Iehojadahhi ad Ioaſchum venerunt & ſeſe ipſi incurvantes, tum à vero Dei cultu ipſum ad idololatriam abduxerunt, tum ita contra veritatem obdurarunt, ut non tantùm non præbuerit aurem prophetis à Deo miſſis ad revocandum ipſum & populum ſuum ad Iehovam, ſed Zachariam etiam, filium illius Iehojadahhi, qui ipſum ad Regium ſolium evexerat, ipſum de tranſgreſſione reprehendentē, lapidibus obrui mandaverit, ad ſuiipſius ſtatim ruinam. Hac in re precabor etiam & ego vobiſcum; Imo precentur & omnes, & dicant, *Exaudiat ipſos Iehova tempore anguſtiæ ipſorum. Ipſos in edito collocet Nomen Dei Iahhakobi.* & rurſus, *O Deus, judicia tua dato Regi, & juſtitiam tuam filio Regis. Iudicet populum tuum juſtè, & pauperes tuos jure, &c.* Et pro Sereniſſima Domina Elizabetha, cum Illuſtriſſimo Comite Palatino ad Rhenum, nunc inprimis ipſis utriſque tot habentibus malitioſiſſimos hoſtes, *Sit* ipſa eidem Comiti (invitis omnibus ipſorum hoſtibus) *ut vitis fructifera ad latera domus ipſius: filij ipſorum ut plantæ olearum circumſtantes menſam ipſorum:* Nec non etiam, *Sit potens in terris ſemen eorum, & benedicatur etiam eorum generatio.* Et pro eccleſia, ut inprimis hìc in Anglia, Scotia & Hibernia, ita etiam in Comitatu Palatino ad Rhenum, & in Gallia (præſertim nunc) & alibi ubicunque, *Sit pax in præmunitione tua, tranquillitas in palatiis tuis; & confirmet Deus vectes portarum tuarum* (contra portas inferorum, & Pontificiorum omnium) *& benedicat filiis tuis in medio tui.* Et, *Ne recorderis adverſus nos iniquitates præcedentium temporum* (ſic nec pręſentium) *feſtinanter*

Margin notes: 2 Chron. 24, 17, &c. — Pſal. 20, 1, &c. — Pſal. 72, 2. — Pſal. 128, 3. — Pſal. 112, 2. — Pſa. 122, 7. — Pſal. 79, 8, &c.

ter præveniant nos misericordiæ tuæ, nam attenuati sumus valdè: auxiliare nobis Deus salutis nostræ, propter honorem nominis tui, & eripe nos. Expiationem fac de peccatis nostris propter nomen tuum: & rursus, *Parce Iehova populo tuo, & ne exponas possessionem tuam opprobrio, ut dominentur in eos gentes* (vel Antichristus Romanus, vel alij) *Cur dicerent in populis, ubi est Deus ipsorum*. Postremò contra illum Antichristum Romanum, eiusque nunc pugiles quoscunque, & ubicunque: nec non & alios Dei & Christi sui inimicos omnes dicite, *Ne obliviscaris vocis hostium tuorum: strepitus insurgentium in te augescentis jugiter*: & denique, *Effunde æstum tuum in eas gentes quæ non agnoverunt te, & super regna quæ nomen tuum non invocant*: qualia sunt regna omnia Antichristiana. *Pax autem & misericordia sit super omnes ambulantes secundùm regulam Apostolorum, & super Israelem Dei: & gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu vestro* Patres, & Fratres, *Amen.*

Ioel. 2,17. Psal. 74,23. Psal. 79,6. Gala. 6,16. ver. 8.

Soli sapienti Deo gloria, per Iesum Christum in secula. Amen. Rom 16,27.

Veri vestri Honoris verè studiosus

Θεόφιλος φιλάδελφος.

FINIS.

ERRATA

aliqua typographica ſic corrigat
Lector benignus.

Pagina 4, lin. 10 gloriaturam. *pag.5, l. a f. 11* affluitis. *pa. 8 lin.17* vobis cum. *pag. 9, lin. a f. 6* metuendum. *pag 13, med.* Anne. *pa. 27, l. a fine 8* ſint. *pa. 33 med.* patronorum. *pag. 35 med.* Diabolicam. *pag. 35 l. a f. 5* ſocietate. *pag. 38 med.* modium. *pag, 40 med.* quandam. *pag. 41 lin. a fine 4* futuram. *pag. 46 lin. 13* caput *pag. 65 med.* adulatorius. *pag. 70 lin. 9* eum. *lin. 11* excitandum.